# EUTYCHII

*Ægyptii,*

Patriarchæ Orthodoxorum

*ALEXANDRINI,*

Scriptoris, ut in Oriente admodùm Vetuſti ac Illuſtris, ita in Occidente tùm pauciſſimis Viſi tum perrarò Auditi,

Eccleſiæ ſuæ Origines.

Ex ejuſdem Arabico nunc primùm typis edidit ac Verſione & Commentario auxit

*Ioannes Seldenus.*

——*Non, ſi quid* TURBIDA ROMA
*Elevet, accedas; examenve* improba *in* ILLA
*Caſtiges* trutina——

LONDINI,
Excudebat RICHARDUS BISHOPUS.
MDCXLII.

Proſtant apud R. & T. Whitakerum.

Digitized by Google

# PRÆFATIO.

## *Editionis Ratio.* Et de *Autoris* ſeu Eutychii Patriarchæ Alexandrini *Nomine, Patria, Natalibus, Dignitate, Ævo, Scriptis,* adeoque eis, *unde Origines hæ* ſumtæ.

GRaviſſima atque plurimùm vexata dudùm recruduit Quæſtio, de Ordine Hieratico. Eaque tum perantiqua, tum celeberrima. Vtrum ſcilicet ex ipſa pura puta origine ſeu prima ac mera naſcentis Eccleſiæ Chriſtianæ diſciplina, Epiſcopalis ſive Ordo, ſive Dignitas, ſive Gradus, Presbyterali, ſeu Sacerdotali, Superior vel Alius aut ei neutiquam Diſpar ſeu Idem fuerit habendus. Omnimodâ nimirùm morum legumve, ab

humano, quod recentius fuerit, imperio variatìm ſuperinductarum, ratione prorſus ſepoſitâ. Etiam nunc temporis Controverſiam hac de re acerrimè agitant Viri perinſignes Bini, ſummâ quidem eruditionis gloriâ eminentiſſimi. Utinam intereà amiciùs diſſidentes. Uterque Gallus. Sed Perſuaſionis ut plurimùm invicèm diverſiſſimæ. Neutrum florentioribus hujus ævi ſtudiis quiſquam aſſuetior potis eſt ignorare. In Alterum, indagationis tum liberrimæ tum diffuſiſſimæ ſanè principem, digreſſione, quemadmodum ſolet, doctiſſimâ in opere eximio *de Fœnore Trapezitico* uſum (qua ſcilicet Epiſcopis & Presbyteris ex origine ſimplici promiſcuam tam Muneris quam Nominis communionem aſſerit) inſurgens illicò alter, tum ut adverſarius non novus, tum ut partium Pontificiarum, ex inſtituto cui mancìpatus eſt, propugnator & neceſſarius & ſedulus, *Diſſertationes Eccleſiaſticas de Epiſcoporum Dignitate & Iuriſdictione* emittit. Has in libello *de Epiſ-*

copis

*copis & Presbyteris* viriliter oppugnans Walo Meſſalinus ſua egregiè firmat. Atque in eandem ſententiam ab eo plura & traduntur in Opere ejus *de Primatu Papæ* jam prodituro, & promittuntur in eo quod meditatur *de Ordine Eccleſiaſtico*. Circumvolitant etiam in Anglia noſtra libelli non pauci operoſiùs conſarcinati, tam in munus Epiſcopale, quà ex jure tam diu recepto Presbyterali habitum eſt ſuperius, velut omninò abolendum, quàm pro vetuſto ejuſdem, juxta morem majorum, uſu retinendo. Præterimus alios eâdem ſudantes in meſſe, atque Ordinem Hieraticum ac rem Epiſcopalem in Notitiis, Annalibus, Centuriis, Scholiis Theologicis, aliterve tractantes. Sardos quidem in his haberi venales certum eſt, & more Mandrabuli eſſe ſæpiùs actum; dum inſcitiùs & ferociùs multò quàm doctiùs aut cordatiùs non raro inſtituitur utrinque altercatio. Neque alitèr ſanè fieri poteſt, quoties homines Concluſionum, utcunque illarum, impenſiùs ac

efflictim amantiores quàm Præmiſſorum intelligentiores aut de eis prudentiùs ſolliciti, chartis temerè illinendo abutuntur. Quæ quidem frequentiſſima eſt non Fundi ſolùm Literarii ſed & Pacis Publicæ calamitas, eò deploranda magìs quò remedium minùs ſperandum. Sed verò in fœcundiſſima, quæ etiam in horas creſcit, ſcripturientium hac de re ſegete, vix opinor quempiam reperiri (modo rem aliquantulò fuſiùs diſcutere adgrediatur) à quo non etiam in primis uſurpatur locus ille Hieronymi percelebris de Priſco Eccleſiæ Alexandrinæ More, pro vario hominum tum ingenio tum partium ſtudio perquàm diverſimodè intelligi ſolitus. Iſte, inquam, qui habetur in Epiſtola ejus 85, ſeu ad Evagrium. Ibi, ſimulac ex fœdere novo eoſdem Apoſtolorum ævo eſſe Presbyteros quos & Epiſcopos probare ſatagens verba ſacra illuc ſpectantia collegerat, ad inſequentia dein tempora & ſingulare Eccleſiæ jam dictæ exemplum deſcendens, hæc

ſubjicit.

ſubjicit. *Quod autem poſteà unus electus eſt qui ceteris præponeretur, in Schiſmatis remedium factum eſt, ne unuſquiſque ad ſe trahens Chriſti Ecclesiam rumperet. Nam & Alexandriæ à Marco Evangeliſta uſque ad Heraclam & Dionyſium Epiſcopos, Presbyteri ſemper unum ex ſe electum, in excelſiori gradu collocatum Epiſcopum nominabant. Quo modo ſi exercitus Imperatorem faciat; aut Diaconi eligant de ſe quem induſtrium noverint & Archidiaconum vocent.* Totidem ſyllabis, cum reliquis ferme ejuſdem Epiſtolæ, locus ille transfertur in Decretum Gratianeum, ſeu Corporis Iuris Canonici partem primam, Diſt. 93. cap. 24. *legimus*. Atque heic *præcipuum Quæſtionis momentum ac diſputationis totius facere* Hieronymum ait Dionyſius Petavius. Et mirè torquet Theologos, quotquot Hierarchiam receptiorem velut ab Apoſtolis inſtitutam neceſſariò retinendam contendunt, locus ille, adeoque ut etiam audentiùs aſſerere auſi ſint nonnulli, Heræticorum & fortaſſe Aërianorum dolo & manu Epiſtolam illam fuiſſe corruptam. Vide Ludovicum Cellotium de

Hierarchia lib. 4. cap. 16. Neque verò apud Veteres ſive Patres ſive Hiſtoricos, qui proſtant, ulla alibi, quantum ſcio occurrit moris hujus Alexandrini aut vola aut veſtigium; niſi id quod de Presbyteris apud Ægyptum, ex Commentario illo qui Ambroſio tribuitur in Epiſtolam ad Epheſios, uti & locum alterum, in Quæſtionibus ad utrunque Fedus quæ Auguſtini dicuntur, huc referendum duxeris. Quod & meritò ſanè facias; qua de re plura in Commentarii numero 19. Iam verò cum de Ordinis Hieratici in Eccleſia Alexandrina, id eſt de Presbyterorum & Epiſcoporum, ipſiuſque Patriarchæ, etiam & de ipſiſſimo hoc quem memorat Hieronymus more, Teſtimonium multò Luculentius Explicatiuſque habeatur apud Scriptorem ſanè vetuſtum, Arabicum, Ægyptium, eumque ejuſdem Eccleſiæ Patriarcham Orthodoxorum (nam alius erat ibi non raro Iacobitarum) necdum typis editum, & perpaucisſimis, niſi fallor nimiùm, aut lectum aut

*Editionis ratio.*

aut viſum; Operæ pretium duximus nec ſtudioſis atque ingenuis Veritatis indagatoribus Falſique larvarum oſoribus ingratum, illud inde fidelitèr excerptum interpretari ac Commentario illuſtratum edere.

Patriarchæ huic à natalibus nomen erat سعيد *Said* cum adjectione patronymica ابن بطريق *Ibn Batrik*, id eſt, *Saidus Filius Batrici* ſeu *Patricii*, aut *Batricides*. Cum autem Patriarcha factus eſt, maluit ſibi nomen افتيشيوس quod & exaratur ſubinde اوتيشيوس & اوتوشيوس pro eo quod è Græco eſt *Eutyches* aut *Eutychius*. Vocabulum illud è Græco ſic in Arabica elementa deformatum legi quidem olim, ſed non ſine errore, *Aphthiſius*; uti &, juxtà mecum, vir ſummus Thomas Erpenius Orientalium linguarum, maximè Arabicæ, in Occidente parens, dum vixit, colendiſſimus. Id quod ex ejuſdem annotatiuncula de Autore hoc, codicum quibus utor alteri, ſua manu, dum aliquamdiù conſuetudi- *Autoris Nomen.*

ne ejus Londini annis abhinc amplius viginti fruebar, adjecta liquet. Et lectionem ejuſmodi ſatis fert ipſa vocabuli elementa. Sed tandem vidi *Eutychis* & *Eutychii* nomina ab ipſo Saido eiſdem literis deſignari, unde & eundem *Eutychium* aut *Eutychen* dicendum minimè dubitavi. Nec tam novum ita ſumſit ſibi nomen Saidus, quàm priſtini interpretationem aut alia ex lingua ſynonymum. Nam سعيد *Said* idem Arabicè ſignificat quod Græcè *Eutychius* aut *Eutyches*, aut Latinè *Fortunatus*.

*Patria* Eutychii; *Natalium item Locus & Tempus.*

Patria erat Ægyptus. Natalium locus (ut teſtatur ipſe in Chalifatu Kahiri Billa) Fuſtatum; de quo vide, ſi placet, Geographiam Nubienſem in parte 3. climatis 3. præter Leunclavium in Pandectis Turcicis cap. 61. & 212. Tempus Natalium ejus fuit annus octavus Mutemadis Billa Ibn Metwachal Chaliphæ in Syria, Achmede Ibn Tolon Chaliphatum obtinente Ægypti; dies verò dominicus & 27 menſis Dilhuggiæ, anni Hegiræ 263, ut expreſſim in Codicum

cum quibus utor ejuſdem altero, ſive ab ipſo Eutychio, ſive à neſcio quo alio traditur. De anno verba ſunt وذلك في سنه ثلاثه وستين ومايتين قمريه ومن الهجره الي المولد مايتين واربعه وخمسون سنه *Atque hoc evenit anno 263 Lunari. Et ab Hegira ad natales ejus anni ſunt ſolares* 254. Dum verò numeratur ibi annus à Chriſti Incarnatione, fit ille 868; qui planè idem eſt qui nobis in Chronologia receptiſſima habetur 876. Nimirùm Eutychius paſſim in Chronologia ſua Chriſti natales octennio facit recentiores quam in æra vulgari, uti & monuimus in Commentario, numero 15. Adeoque ex ea ratione Hegiram ab anno Chriſti 614 auſpicatur, quam unanimes tribuunt Chronologi noſtri anno vulgari Chriſti 622. Atque ex 622 & 254 annis ſolaribus conficitur annus ille 876. Dies autem 27 Dilhuggiæ in anno Hegiræ 263, reſpondet diei 8 Septembris in anno 876 Iuliano. Accepi verò, & beneficium libentiſſimè agnoſco, ab viro literis optimis

ac virtute ornatiſſimo Edwardo Pocockio, Oxoniis linguæ Arabicæ Profeſſore digniſſimo, vitam MS. Eutychii noſtri ab Ibn Abi Oſaibea Mahumedano, inter vitas Arabum qui Medicinâ (nam & Medicus erat inſignis Eutychius) claruêre ſcriptam. In ea idem Dies, Menſis, ac Feria eadem, Natalibus ejus tribuitur. Annus verò interim ibi eſt ثلث وعشرين ومايتين الهجرة 223 *Hegiræ.* Sed Librarii error eſt manifeſtus. Et pro عشرين *vigeſimus*, planè ستين *ſexageſimus* legendum. Autor ille aliàs dicitur Abu Elaighbas Achmed Ben Caſem, quem eundem exiſtimo eſſe cum Ben Caſem, virorum illuſtrium vitarum Autore aliquoties citato à Gabriele & Ioanne Maronitis in Tractatu de rebus Orientalibus Geographiæ Nubienſi ſubnexo. Floruit hic ſub annum Hegiræ 610, ſeu annum Chriſti 1212. Anno nempè ætatis ſuæ 37 mortuus eſt, anno Hegiræ 616; qui Chriſti eſt 1220. Igitur natus eſt Eutychius Carolo Calvo Occidentis, Baſilio Orientis Impe-

ratoribus,

ratoribus, & Alfredo Rege Angliæ, Patriarchâ Alexandrino tunc Michaele. Dum autem temporis hunc qualemcunque calculum ex Arabiſmo afferimus, ſubit in mentem illud Landulphi Sagacis de ſumma atque inaudita numerandi inſcitia, quam Arabibus, autore Græculo aliquo, imputat. Ait nempè, libro 20, Vlid, ſeu Walid Chalifam Syriæ *prohibuiſſe ſcribi Græcè publicos logotheſii codices, ſed in Arabicis annotari ſine computo: quoniam*, ſic ille, *impoſſibile eſt illorum lingua monadem vel dualitatem aut trinitatem, aut octo & dimidium aut tria ſcribi, propter quod & uſque hodie ſunt notarii Chriſtiani.* Ita in rebus Iuſtiniani Rhinotmeti ſeu ſub annum Chriſti 700 Landulphus. Sed mirari ſatis nequeo, undenam hoc Commentum primò natum. Manifeſtius nihil eſt quam non ſolùm in Arabum lingua Walide hoc vetuſtiore, utpote etiam in Alcoranica, numerandi rationem pariter, ut linguis in aliis, exprimi, verùm etiam ipſás, quibus utimur Europæi, Figuras Numerales, opera-

*De Numerandi apud* Arabas *ratione.*

tionibus Arithmeticis adeo accomodas, quas Barbaricas appellitamus, ab eis olim mutuò Europæos accepiſſe, nec ita multò aliter à nobis etiamnum quàm ab illis formatas. Et Guilielmus Malmesburienſis lib. 2 de Geſtis Regum Angliæ cap. 10, ubi Gereberti, poſteà Silveſtri ſecundi Papæ, (quem tamen ille Ioannem XV perperàm facit) hiſtoriam intertexit, eum ait *primum à Saracenis Abacum rapientem, regulas dediſſe quæ à ſudantibus abaciſtis vix intelligantur*. Sed hæc obitèr.

*Eutychius Medicinâ, Hiſtoriarum Scientiâ, & Theologiâ clarus.*

Dignitas Eutychii noſtri cernitur tum in artis Medicinæ ſingulari quâ claruit famâ, tum in rebus & Hiſtoricis & Theologicis quibus admodùm polluit, adeoque in Faſtigio in quod evectus eſt Patriarchali. Medicum quidem ipſe ſe in ſcriptis ſuis non ita rarò appellat, adjecto nomini ſuo, quod, juxta Orientalium morem, ſubinde inſerit, vocabulo المتطبب *Medicus*. Et Achmed Ben Caſem in vita ejus; وكان طبيبا

مشهورا

مشهورا عارفا بعلم صناعة الطب
وعملها متقدما في زمانه *Et Medicus fuit inſignis, tum Theoricæ tum Practicæ ejuſdem partis gnarus, ac tempore ſuo præcellens*; quemadmodum item erat frater ejus Iſi Ibn Batrik dictus. Scientiam ejus Hiſtoricam ſcimus ex Annalibus ejus, de quibus mox. Theologum autem ſubinde in Annalibus illis agit acutum, dum in Arianos, Neſtorianos, id genus alios, tam obiter, ſed breviuſculè, diſputare vult quam res eorum narrare. In dignitatem Patriarchalem evectus eſt, poſt obitum Chriſtoduli Patriarchæ Alexandrini, annos natus ſolares circa quinquaginta octo. Nimirùm anno Hegiræ 321, ſeu primo Chalifatus Kahiri Billa, factus eſt Patriarcha, die 8 menſis Tzephari, ut expreſſim tum Ben Caſem tum Eutychius ipſe. Sed altero in exemplari Eutychii (nam binis uſi ſumus, ut ſtatim dicemus) manifeſta eſt in numeris hac de re depravatio. In calculo Iuliano reſpondet annus Chriſti 933 ac

*Patriarcha Alexandrinus fit* Eutychius.

ac dies Februarii octavus. Sedit annis Lunaribus 7 præter 6 menſes, quod teſtatur tam Georgius Elmacinus, aut adnotatio ei adjecta lib. 3 cap. 1. quam Vitæ ejus autor jam ante dictus. Macarius erat tunc temporis Iacobitarum ſeu Eutychianorum ibi Patriarcha, uti hic الملكية *Orthodoxorum*. Sic enim in urbe illa, ſeditionibus deditiſſima, diù etiam anteà obtinuerat, ut tam Hæreticis ſuus quam Orthodoxis ſuus eſſet ibi Epiſcopus. Vide Nicephorum hiſt. 15. cap. 16. Et Breviculus hiſtoriæ Eutychianiſtarnm, ſeu *Geſta de Nomine Acacii*, cum Pontificum Romanorum Epiſtolis aliquot ab Iacobo Sirmondo dudùm edita, pag. 16; *Mortuo Principe Marciano, collectis turbis hæreticorum, Timotheus & Petrus veniunt Alexandriam, & ordinatur ab hæreticis Timotheus Epiſcopus. Duo igitur apud Alexandriam Epiſcopi eſſe cœperunt.* Orthodoxorum tunc erat Proterius. Tam verò Georgius Elmacinus quam Ben Caſem ait diſſidia viguiſſe non levia inter Eutychium & plebem ſuam.

Eutychius *Patriarcha Orthodoxorum.*

ſuam. Diarrhœa tandem laborantem Alexandriæ eum obiiſſe anno Hegiræ 328, die Lunæ qui poſtremus erat menſis Ragebi. Initium anni illius erat 18 Octobris anni Christi 939, feriâ ſextâ ſeu die Veneris. Ita in calculo Iuliano, mortuus eſt die Maii duodecimo anni Chriſti 940, poſtquam annos 63 aut circitèr vixiſſet. Caliphatum Syriæ tenente Arade Billa, Romano Orientis, Ottone Magno Occidentis Imperatoribus, atque Athelſtano Rege Angliæ. Coævos ita habuit Abi Hali Ben Mucla, qui primus elegantioris apud Arabas ſcribendi generis autor extitit, atque Albatenium ſeu Albategnium. Id eſt Mahumedem Aractenſem, Aratenſem Copernico aliiſque dictum & ſubinde Aracenſem, celeberrimum illum Aſtronomum; de quo legitur in Tzemach David, הוא המציא וחידש חשבון נכן ולוחות לחכמי התכונה אשר נהגו בהם עד היום הזה לחשוב ממנו התקיפה האמיתית *Is invenit ſimul & inſtauravit calculum exactum & Tabulas Aſtronomis, quibus utuntur ipſi uſque in hunc diem in motu vero ſupputando.* Sic David ille part. 2

*Eutychii mors.*

*Quos habuerit viros doctrinâ claros ſibi coævos.*

*Albatenius.*

anno Chiliadis quintæ 635 ſeu Chriſti 875. Alphonſinas, ut videtur, vult ex Albatenii libro de Scientiis ſtellarum (quem ex Arabico vertit olim Plato Tiburtinus) conſtructas. Etiam Thebit Ben Cora & אבו אלמשאר החוכן ואלקנדי *Abu Elmaſchaar Aſtrologus & Alkindi* notantur ab Abraha Zacuthio in Sepher Iuchaſin (fol. 146.[b]) ut Caliphis, ſub quibus vixit Eutychius, Coævi.

*Thebit Ben Cora.*

Sed de Thebit non conſentiunt alii. Videſis Iac. Chriſtmannum in caput ſextum Alfragani. At verò Euclidem à mendis purgaſſe Thebit ac Commentariis illuſtraſſe anno Hegiræ 282, ex Orientalium libris docent Gabriel & Ioannes Maronitæ in Rebus Orientis Geographiæ Nubienſi ſubnexis. Annus autem ille idem eſt cum Chriſti 895, quo tempore Eutychius trigeſimum aut circiter agebat annum. Sed peſſimè eluxatum habetur Thebiti nomen apud Ioſephum Blancanum, ubi in decimo tertio à Chriſto ſeculo ponitur. Ex loco illo Zacuthii Ioſephus Scaliger in Dynaſtia Chalipharum, *tunc*

*florebant*

*florebant*, inquit, *Miſcbaar Aſtrologus & El-chandi.* Legendum non dubito אבו אלמעשר *Abu Elmaaſar*, atque intelligi eum quem vul-go *Albumaſar* & *Abumaſar* vocitamus. Sic enim Arabicè ſcribitur ابي ſeu ابو معشر *Abu Ma-ſiar*. Floruit ille Eutychio coævus. Nempè mortuus eſt anno Hegiræ 272 ſeu Chriſti 885, Eutychio juvene, ſeu annorum quaſi viginti. Quod docetur ab Ibn Chalican MS. Illuſtrium virorum apud Arabas vitarum autore perquam eximio. Mihi inde de-ſcripſit hæc etiam vir egregius Edwardus Po-cockius. ابو معشر جعفر محمد بن عمر البلخي المنجم المشهور له المولفات المفيدة في علم الفلك كالمدخل والزيج والالوف وله اصابة جيدة توفي سنة اثنين وسبعين ومايتين *Abu Ma-ſiar Giafar, Mahumed Ben Omar, Balachius, Aſtronomus celebris (cujus ſunt egregia de ſcien-tia ſyderali opera, ut Introductorium, Tabulæ, & Conſtructio; ac fuere inventa ejus perutilia) obiit anno 272.* Hinc liquet cur in verſionibus

*Abumaſar.*

vocetur *Abalachi*, uti & interdum *Iaphar*. Iaphar planè factum eſt à Giafar, & *Abalachi* à *Balachi* ſeu *Balachius*, quo nomine dictus eſt à Natalium loco. *Bactrianus* vertitur à Iacobo Golio in Catalogo Lugduno-Batavo num. 41. Malè autem à Blancano tribuitur Abumaſar ſeculo Chriſti decimo. Nec meliùs Ioannes Picus Mirandulæ Comes, cum Arabibus ea voce dictum Aſtrologum negans ait Philoſophum tantum apud eos ſic nominari. Aſtrologum autem quem ex Arabico habemus, vocandum Aboaſar. Sic ille lib. 1. in Aſtrologiam; ſed hallucinatus. Verum quidem eſt, non Albumaſar dicendum Aſtrologum (quemadmodum Picus ipſe paſſim) ſed Abumaſar; non verò Aboaſar. Citatur aliquoties in Franciſci Buranæ verſione Averrois Commentarii in Priora Ariſtotelis Analytica alibique, Abumazar, qui planè Abunazar exarandus. Is eſt Abunazar Alpharabius Dialecticus & Philoſophus eximius; cujus nomen in Averrois Commentariis in Poſteriora & Avicennæ Chymicis ſæpiſſimè alibique

bique ſic rectè ſcribitur. Qui verò dicitur Scaligero Elkandi, Alkindum, Arabibus الكندي *Alkindi* ſeu Alchindum, eſſe non dubito. Philoſophus erat is celebris, uti & Medicus & Mathematicus. Locum habet inter novem Iudices qui cum Haly de Iudiciis Aſtrorum plerunque conjunguntur. Quædam ejuſdem de Gradibus medicaminum excuſa ſunt quæ haud parùm vilipendens impugnat Averroes in *Colliget* lib. 5. cap. 58. Nuncupatur ſubinde Iacobus Alkindi. Sed in Bibliothecæ Lugduno-Batavæ Catalogo occurrit inter codices Arabicos MS. *Iſaac Kindæus, quem vulgo Alkindum vocant, de metiendis diſtantiis. Idem de Electione dierum.* Ex Iunioribus (inquit Ioannes Picus tum in Apologia tum in libello de Hominis dignitate) *qui Magiam*, illam verè naturalem, *olfecerint, tres reperio; Alchindum Arabem, Rogerium Bachonem*, Anglum illum percelebrem, *& Guilielmum Pariſienſem.* Magiam puto Alchindi maximè cerni voluit in libello de Radiis, in quo de Spe- *Alkindus.*

cierum rerum omnimodarum, uti radiorum à Sole, emanatione, & de relatione partium univerſi quaſi Magnetica agit. Hic puto nondum editus eſt. Coætaneus item

*Photius.* *Theophilactus.* *Vitellio.*

Eutychio erat Photius Archiepiſcopus Conſtantinopolitanus, atque, uti volunt aliqui, Theophilactus Bulgariæ, & Vitellio Opticus. Libri ab Eutychio ſcripti ſunt Quatuor.

Eutychii *Opera.*

كتاب في الطب *Liber de Medicina*; كتاب في الجدال بين المخالف والنصراني *Liber Diſputationis inter Hæreticum & Chriſtianum*, كتاب نظم الجوهر *Ordinatio* aut *Ordinata diſpoſitio Gemmæ*, ſeu *Ordinatio* aut *Ordinata diſpoſitio* aut *Syntagma Subſtantiæ* (ut pariter fert vox الجوهر) ſeu *Syntagma compendioſum*; quaſi *Medullam Hiſtoricam* nuncupaſſet. Neque enim eodem vocabulo pro Gemma ac Subſtantia (ſcilicet الجوهر *Giauhar*) ſolùm utuntur Arabes, verumetiam ideò utuntur, quia ut Gemmæ inter reliqua bona, ita Subſtantiæ inter cetera prædicamenta dignitas eſt eminentiſſima.

tiſſima. Nam inde nominis hæc communio, ut expreſſim Averroes in Epitome in libros Metaphyſices, tractatu primo. Quartus liber Eutychio tributus, eſt *de rebus Siciliæ poſtquam à Saracenis capta eſt*, qui in Catalogo Bibliothecæ Orientalis Viri præſtantiſſimi Thomæ Erpenii, annexus eſſe dicitur Hiſtoriæ ejus Eccleſiaſticæ, id eſt, *Medullæ* quam diximus *Hiſtoricæ*. Librorum, quos memoravimus, tres priores meminit Achmed Ben Caſem ille. Etiam in illorum Tertio, ſeu Medulla Hiſtorica, Secundum memorat ipſe Eutychius. Tertius autem Annales complectitur à rerum conditu uſque in ſua tempora deductos; in quibus quamplurima ad Hiſtoriam tum Sacram tum Profanam attinentia occurrunt notatu digniſſima quæ nullibi omninò apud Scriptores qui proſtant, alioſve quos mihi videre contigit, ſive Græcos ſive Latinos ſive Ebraicos ſive Arabicos lecta. Conſcripti ſunt illi ad Iſi Ibn Batrik fratrem ſuum. Citantur multotiès à Georgio Elmacino in hiſtoria

Eutychii *Opus, ſeu Annales unde* Origines *hæ ſumtæ.*

ria

ria Saracenica. Et recenſentur proculdubio inter Codices Arabicos Orien.is res complexos, quibus olim Guilielmum Archiepiſcopum Tyrium inſtruxit Almaricus rex Hieroſolymitanus, ut inde opus de Principibus Orientalibus conficeret. Nec ut vulgares, ſed primarii. *Seith filius Patricii & vir venerabilis* vocatur huic Tyrio; nec alibi apud Scriptores Europæ veteres, quantum obſervavi, memoratur. Almarico rege, inquit Tyrius, in Prologo ad Hiſtoriam, *Arabica exemplaria miniſtrante, aliam hiſtoriam à tempore ſeductoris Mahumeth uſque in hunc annum, qui eſt nobis ab Incarnatione Domini* MCLXXXIV *per annos quingentos ſeptuaginta decurrentem conſcripſimus; autorem maximè ſecuti virum venerabilem Seith filium Patricii Alexandrinum Patriarcham.* Quod verò ait ſe maximè hunc ſecutum, planè intelligendum eſt de tempore duntaxat annum Chriſti 937 ſeu Hegiræ 326 antevertente. Tunc enim ſuos claudit Annales Eutychius, circa biennium pòſt mortuus. Atque ex Annalibus ejus

*Citatur a* Guilielmo *Archiepiſcopo* Tyrio.

ejus hiſce, quos ipſis Eccleſiæ Alexandrinæ archivis plurima debere nullus dubito, Teſtimonium quod dixi de loco illo Hieronymi traduximus. Id eſt, integram de Marco Evangeliſta & Eccleſiæ illius Originibus moribuſque vetuſtis interſertam Periocham. Exemplaribus uſus ſum binis MSS. ex Oriente dudùm allatis. Alterum antiquius eſt & trecentis quadraginta amplius abhinc annis exaratum, quod Bibliothecæ Cottonianæ cimelium eſt. Alterum, quod tum recentius tum multò elegantius eſt, cum aliis aliquot Orientis ſcriptis in Anglia à Iudæo, ut opinor, neſcio quo ante decennium amplius emtum, dono mihi dedit Georgius *Gage*, popularis meus, vir, dum vixit, tum ſingulari morum ſuavitate tum optimis artibus ornatiſſimus. Prioris erat olim dominus, Michael Patriarcha Antiochenus, qui & Eccleſiæ Antiochenæ, ni fallor, illud donavit. Id enim ſignificari didici eo quod ſcriptum in calce reperio. Nempe nomen jam dicti Patriarchæ Antio-

*Exemplaria* Eutychii, *quibus uſi ſumus, Arabica bina.*

cheni primò Arabicè conſcriptum, dein adjectum, codicem illum illius eſſe, quod ſolenni illo in Sacrilegos carmine clauditur فكل من يسرقه ام يختلسه يكون محروم من الله & *ſi quis eum clam ſurripuerit, Deo anathema ſit.* Hiſce ſubjicitur ipſa Michaelis manu (ut par eſt credere) literis invicem in ſe, ad Græcorum, cum nomina ſcribunt, morem, inſilientibus, ✠ Μιχαὴλ ἐλέῳ Θεοῦ Πατριάρχης Ἀντιοχείας. Hunc autem eundem eſſe exiſtimo qui ante annos ampliùs ſexaginta Patriarchatu illo valdè ſenex dejectus, non ſemel memoratur à Martino Cruſio in Gratulatione ad Solomonem Schweigerum de ejuſdem peregrinatione conſcripta, non in Turcogræcia, ſed ſeorſim Argentorati 1582 excuſa. Hinc eſt quod in Commentario vocari volumus Codicem ſeu Exemplar hoc, *Antiochenum.* Recentius autem Exemplar exaratum eſt anno Hegiræ 1028, id eſt Chriſti 1618, Alepi, à Scriba ibi celebri تلجي *Talgi* dicto. Unde *Alepenſem* codicem eum nuncupavi. In Bibliotheca

theca Lugduno-Batava, quæ codicibus eſt Arabicis MSS. refertiſſima, nullum Scriptoris hujus reperitur Exemplar, ſi fides Catalogis ejuſdem. Idem dicendum, de Bibliotheca Ambroſiana quæ Mediolani eſt, & D. Laurentii, quæ Madriti, & Oxonienſi publica, uti & Arundelliana; quæ omnes tamen codices habent Arabicos MSS. maximè Oxonienſis, perplurimos. Sed verò in Bibliotheca Cantabrigienſi publica, Exemplar Annalium ejus reperitúr inter libros Bibliothecæ Orientalis Thomæ Erpenii, quibus illa pridem donata eſt à Georgio Duce Buckinghamiæ, ejuſdem Academiæ Cancellario. Quænam in Privatorum Muſæolis lateant eorundem Exemplaria alia, neſcio. Sed verò jam nunc dum hæc proditura ſunt, perhumanitèr communicat mecum Annales hoſce integros nitidiſſimè atque eadem opinor manu quâ Codex meus, ſeu *Alepenſis*, etiam & hoc aliquot annis recentiùs exaratos Guilielmus *Corderoy*, Civis Londinenſis, uti item alios aliquot

libros notæ ſingularis Arabicos, quibus in Oriente ſibi comparatis patriam ſuam nuperrimè ditavit. Et de Editionis cauſa, Autore, & Codicibus unde quæ ſequuntur Origines hauſtæ ſunt, hactenus.

Sed verò ſi Eutychio fidem heic parùm habendam ideò forſan quis moroſiùs exiſtimaverit, quòd ævi fuerit ipſe adeò rebus quas tradit recentioris (nam Seculo, ut vides, floruit Decimo) certè neceſſe eſt ut is, ſi pariili in paribus utatur ratione, nec Ioſepho, Livio, Halicarnaſſæo, Plutarcho, Euſebio, Zonaræ, origines & res geſtas Iudaicas, Romanas, Græcas, Punicas, Chriſtianas tamdiù ſeculum ſuum antevertentes narrantibus nec id genus aliis credat, imò ut pro fide dignis habeat hiſtoriis (præter ſacras literas) duntaxàt ipſa Archivorum penetralia, Conciliorum acta ipſa, Thucydides, Polybios, Saluſtios, Cæſares, Tacitos, Guicciardinos, Comminæos. Mihi ſanè Eutychius in hiſce eſt veluti Beda planè Ægyptius.

EUTYCHII,

# EUTYCHII,

## Patriarchæ Orthodoxorum *ALEXANDRINI*, ECCLESIÆ SUÆ ORIGINES.

*Paginarum Commentarii Index.*

في تسع
سنين من
قلودنيوس
قيصر كان مرقص
الانجيلي بمدينة
الاسكندرية يدعوا
الناس الي الايمان
بالمسيح سيدنا ونبينا

ANnus agebatur *Claudii* [1] Cæſaris 1
nonus, cum
*Marcus* Evangeliſta [2] 2
in urbe verſatus eſt *Alexandriæ*, ut inde propagaretur apud homines fides in Chriſto

مرقص يمشي في مدينة
الاسكندرية ان انقطع
شسع نعله ❀ وجلس
عند رجل اسكاف
يقال له حنانيا ليصلح
نعله ❀ فاخذ حنانيا
الاشفا ليثقب النعل
فثقب به اصبع نفسه ❀
فسال منه دما
كثيرا ❀ واوجعه
وجعا شديدا ❀ فتبرم
بمرقص فقال له
مرقص ان انت
امنت بيسوع المسيح
ابن الله فان اصبعك
تبرا ❀ واخذ مرقص
اصبع حنانيا ❀ وقال
بسم يسوع المسيح

Domino noſtro. Dum
autem per urbem ince-
dit, diffringitur calcei
ejus corrigia: quem ut
reficeret, ad Sutorem [3] 2
ſe contulit nomine *Ha-*
*naniam*, qui ſubulâ [4] ad 3
perforandum calceum
ſumtâ, digitum ſuum
perforavit, adeò ut
multum efflueret ſan-
guinis, nec ſine dolore
ingenti. Submurmu-
ranti igitur in *Marcum*,
dixit ei ille, ſi credide-
ris in *Jeſum Chriſtum* Fi-
lium Dei, digitus tuus
ſanabitur. Prehenſo igi-
tur digito [5] ejus dixit, 3
In nomine *Jeſu Chiſti* ſa-
nus ſit digitus tuus; qui
eodem

| | |
|---|---|
| تبرا اصبعــه ۞ | eodem momento in ſa- |
| فبريت اصبعــه | nitatem reſtitutus eſt, |
| للوقت ۞ فانقطع الدم | ſanguine ampliùs non |
| فامن حننانيا مــن | effluente. Et credidit |
| ساعته بالمسيح وعمده | ab eo tempore *Hana-* |
| مرقص وصيــره | *nias* in Chriſtum, unde |
| بطريركا علـــي | baptizavit eum *Marcus* |
| الاسكندريه ۞ وهو | & conſtituit eum Patri- |
| اول بطريرك صير | archam [6] *Alexandriæ.* 3 |
| على الاسكندريه ۞ | Scilicet is primus [7] erat 4 |
| وان مرقص البشير | *Alexandriæ* [8] Patriarcha 5 |
| صير مع حنانيــا | conſtitutus. Conſtituit |
| البطريرك اثني عشر | item *Marcus* Evange- |
| قسيس يكونوا مع | liſta duodecim [9] Presby- 14 |
| البطريرك ۞ وان عدم | teros cum *Hanania*; qui |
| البطريرك يختاروا | nempè manerent cum |
| واحد من الاثنا عشر | Patriarcha, adeò ut cum |
| قسيسا ۞ ويضع الاحد | vacaret Patriarchatus, |
| | eligerent unum è duo- |
| | decim Presbyteris cujus |
| | Capiti reliqui undecim |
| | Manus |

عشر قسيس الباقون
ايديهم على راسه *
ويباركونه *
ويصلدونه بطريركا
ثم يختاروا رجلا
فاضلا فيصيروه قسيسا
معهم بدل الذي صير
بطريركا ليكونوا
اثني عشر ابدا فلم
يزل رسم القسا
بالاسكندريه *
يصلدوا البطاركه *
من القسا الاثني
عشر الى زمان
الاسكندر بطريرك
الاسكندريه الذي
كان في جملة
الثلثمايه والثمانيه *

Manus [10] Imponerent 16
eumque [11] benedicerent 35
& Patriarcham eum
crearent[12], & dein virum 63
aliquem inſignem [13] eli- 64
gerent eumque Preſ-
byterum ſecum conſti-
tuerent loco ejus qui
ſic factus eſt Patriarcha;
ut ita ſemper extarent
duodecim. Neque de-
ſiit *Alexandriæ* inſtitu-
tum [14] hoc de Presby- 64
teris, ut ſcilicet Patriar-
chas crearent ex Pres-
byteris duodecim, uſque
ad tempora [15] *Alexandri* 66
Patriarchæ *Alexandrini*
qui fuit ex [16] numero 70
illo CCCXVIII. Is autem
vetuit ne deinceps Pa-
triarcham

عشر ✿ فانه منع من
ان يصلحون القسا
البطريرك ✿ وامر
ايض اذا مات
البطريرك ان يجتمعوا
الاساقفة ويصلحون
البطريرك ✿ وامر ايضا
اذا مات البطريرك ان
يختاروا من اي بلد
كان رجلا فاضلا ✿
او من اولايك الاثني
عشر قسا او غيرهم
ممن يرضا حاله
فيصلحونه بطريرك ✿
وانقطع الرسم القديم
من اصلاح القسا
البطريرك ✿ وجري
الامر الاساقفة في

triarcham [17] Presbyteri 128
crearent. Et decre-
vit [18] ut mortuo Patriar- 129
châ convenirent Epiſco-
pi qui Patriarcham or-
dinarent. Decrevit item
ut, vacante Patriarcha-
tu, eligerent [19] ſive ex 131
quacunque regione ſive
ex duodecim illis Preſ-
byteris ſive aliis, ut res
ferebat, virum aliquem
eximium, eumque Pa-
triarcham crearent. At-
que ita evanuit [20] inſtitu- 134
tum illud antiquius, quo
creari ſolitus à Presby-
teris Patriarcha; & ſuc-
ceſsit in locum ejus de-
cretum de Patriarcha ab
Epiſcopis creando. Is

اصلاح البطريرك ✿ واما
سوالهم لم يسمى
بطريرك الاسكندرية
بابا فمعنى البابا
جد ✿ فان منذ
حنانيا الذي اصلحه
مرقص الانجيلي
بطريرك الاسكندرية
الى وقت ديمتريوس
بطريرك الاسكندرية
وهو الحادي عشر
بطريركا كان يلي
الاسكندرية ✿ لم
يكن في عمل مصر
اسقف ✿ ولم تكن
البطاركة الذين قبله
اصلحوا اسقفا ✿ فلما
صار ديمتريوس

etiam petiit ab eis ne
Patriarcha *Alexandri-*
*nus*, [21] *Papa* vocitare- 139
tur; quod ſignificat A-
vum. Sed verò ab *Ha-*
*naniâ* quem conſtituit
*Marcus* Evangeliſta
Patriarcham *Alexan-*
*driæ*, uſque in tempora
*Demetrii* Patriarchæ ibi-
dem (is Patriarcha fuit
*Alexandrinus* undeci-
mus) nullus erat, [22] in 143
Provinciis *Ægypti*, E-
piſcopus; nec Patri-
archæ ante eum cre-
arunt Epiſcopos. Ille
autem factus Patriar-
cha tres conſtituit E-
piſcopos

بطريركا اصلح .
ثلثة اساقفة ۞
وهو اول بطريرك
بالاسكندرية عمل
الاساقفة ۞ فلما مات
1 صير بعده هرقل
بطريرك على
الاسكندرية ۞ فاصلح
عشرون اسقفا ۞ فواحد
من هولا الاساقفة
اسمه اومانيوس خالف
الشريعة ۞ واتصل
خبره بهرقل
البطريرك فجمع هرقل
البطريرك جماعة من
الاساقفة ۞ وصار الي
مدينة اومانيوس ۞
فكشف عن حاله

piſcopos. Et primus
fuit hic Patriarcha *A-
lexandrinus* qui Epiſ-
copos fecit. Mortuo
*Demetrio* ſuffectus eſt
*Heraclas* Patriarcha *A-
lexandrinus*, qui Epiſ-
copos conſtituit vigin-
ti. Ex his unus erat,
*Ammonius* [23] dictus, 147
religionis deſertor. De
quo ſimulac ad *He-
raclam* delata eſt fa-
ma, congregavit is Sy-
nodum Epiſcoporum,
& in urbem *Ammonii*
perrexit, ubi re ſatis
cognita & perſpectâ,

 eum

فنظر في امره ورده
الي الحق ❁ فسمعت
العامه الاساقفه وهم
يسمون البطريرك
ابا ❁ فقالوا في
نفسهم انا كنا نحن
نسمي الاسقف ابا ❁
والاسقف يسمي
البطريرك ابا ❁ فيجب
علينا نحن ان نسمي
البطريرك بابا ❁
اي جدا ❁ ان كان
اب الابا ❁ فسمي
بطريرك الاسكندريه
من ايام هرقل بابا
اي الجد ❁ فاما
حنانيا بطريرك
الاسكندريه النبي

eum ad Veritatem reduxit. Cum verò homines audierant Epiſcopos vocitare patriarcham *Abba* ſeu Patrem, inter ſe dixere, [24] nos Epiſcopum 149
quemlibet *Abba* ſeu Patrem appellamus; Et appellant Epiſcopi Patriarcham *Abba*. Unde ſanè oportet ut vocemus nos patriarcham *Papam* id eſt Avum, cum ſit Pater Patrum. Ita à tempore *Heraclæ*, Patriarcha *Alexandrinus* dictus eſt *Papa*, id eſt Avus. Poſtquam autem *Hananias* Patriarcha *Alexandrinus* quem *Marcus*

اصلحه مرقص البشير
على كرسيها
بطريركا اقام اثنين
وعشرون سنه
ومات ۞ وخرج مرقص
البشير الي برقه
يدعوا الناس الي
الايمان بالمسيح ابن
الله ۞ ومات قلوديوس
قيصر الملك فملك
بعده ابنه نارون
قيصر برومية ثلثه
عشر سنه ۞ وهو
اول من اهاج على
النصاري الشر والبلا ۞
وكان رجلا شريرا
جدا ردي السير ۞
وفي عصر نارون

*cus* Evangeliſta in ſede ſua conſtituit, annos ſederat XXII, mortuus eſt. Et profectus eſt *Marcus* Evangeliſta in *Barcam*,[25] ut propagaretur 149
apud homines fides in Chriſtum filium Dei. Obiit dein *Claudius* Cæſar, Imperator, & imperavit *Romæ* poſt eum, filius ejus *Nero* Cæſar annis XIII, qui primus fuit graviſſimorum in Chriſtianos malorum autor; homo utpote, in conſilii & vitæ inſtituendæ ratione, improbiſſimus. Et [26] tempore 150
*Neronis* Cæſaris, ſcrip-


ſit

قيصر كتب بطرس
ريس الحواريون
انجيل مرقص عن
مرقص في الرومية
في مدينة رومية ۞
ونسبه الي مرقص ۞
وفي عصر هذا الملك
ايضا كتب لوقا
انجيله باليونانية الي
رجل شريف من علما
الروم يقول له
ثاوفيلا ۞ وكتب اليه
ايضا الابركسيس
الذي هو اجبار
التلاميذ ۞ وقد كان
لوقا البشير صاحب
بولص الرسول واقام
معه زمانا ۞ ولذلك

ſit *Petrus*, [27] Apoſto- 151
lorum Princeps, Evan-
gelium *Marci*, cum
*Marco*, lingua *Roma-*
*na* [28], in urbe *Romæ*. 152
Sed attribuit [29] illud 163
*Marco*. Etiam tempore
hujus Imperatoris ſcrip-
ſit *Lucas* [30] Evangelium 163
ſuum *Græcè*, ad virum
Nobilem ex Sapienti-
bus *Romanis*, cui no-
men *Theophilus*, ad
quem item ſcripſit Acta
ſeu Diſcipulorum hiſto-
riam. Erat autem *Lu-*
*cas* Evangeliſta comes
*Pauli* Apoſtoli, quo-
cum [31] per tempus ali- 164
quod manſit. Unde eſt
quod *Paulus* Apoſto-
lus

ان بولص الرسول
يقول في بعض
رسايله ان لوقا
الطبيب يقرا عليكم
السلام ۞ واخذ نارون
قيصر بطرس وصلبه
منكسا ۞ وقتله لان
بطرس قال له ان
اردت ان تصلبني
فاصلبني منكسا ليلا
اتشبه بسيدي المسيح
وانه صلب قايما ۞
وضرب عنق بولص
بسيف وكان لبطرس
بعد سيدنا المسيح
حين قتل اثنين
وعشرون سنه ۞ وصير
بعد بطرس لينوس

lus in quadam Epiſtola
ſua dicit, *Lucas* [32] *Medicus vos ſalutat.* Pre- 164
henſum verò *Petrum*
*Nero* Cæſar cruci affigit, corpore ſcilicet inverſo, atque ita morte eum affecit. Nam & dixerat ei *Petrus*, ſi vis ut ego cruci affigar, corpore me inverſo affige cruci, ne mors mihi inflicta ſimilis ſit ei quæ infligebatur Domino meo Chriſto, qui cruci affixus eſt, corpore erecto. Sed gladio trucidavit *Paulum.* Occi-
ſus autem eſt [33] *Petrus* 165
ſub annum XXII poſt Dominum noſtrũ Chriſtum.

بطريركا على رومية
اقام اثني عشر سنة
ومات ✿ وهو اول
بطريرك صار على
رومية ✿ وكان
مرقص صاحب الانجيل
بالاسكندرية وبرقة
يدعوا الناس الى
الايمان بالمسيح
ابن الله سبع
سنين ✿ وفي اول سنة
من ملكة هذا نارون
قيصر قتل مرقص
بالاسكندرية
واحرق جسده
بالنار

ſtum. Erat vero poſt
*Petrum, Linus* Patriar-
cha *Romæ*, qua functus
dignitate XII annos obi-
it. Et hic primus [34] erat 166
Patriarcha *Romanus*.
Atque erat *Marcus* E-
vangelii autor, in *Alex-
andria* & *Barca* (ut
ſcilicet propagaretur a-
pud homines fides in
Chriſtum Filium Dei)
annis [35] VII. Et anno 166
Imperii *Neronis* Cæſa-
ris jam dicti primo, oc-
ciſus eſt [36] *Marcus A-* 166
*lexandriæ*, & [37] corpus 169
ejus igne eſt crema-
tum.

IN

# IN
# Eutychii Ægyptii,
## PATRIARCHÆ
## ALEXANDRINI,
## Eccleſiæ ſuæ Origines,
## COMMENTARIUS.

### I.

*ANnus agebatur Claudii Cæſaris nonus, cum Marcus Evangeliſta.*] Non habetur ante hunc annum (id eſt Chriſti vulgare 49) in Annalibus Eutychii, unde Origines hæ ſumuntur, Marci Evangeliſtæ mentio. Sed ſexennio aut circiter apud Euſebium & Chronologos quos vulgus ſequimur, antevertit ejus per Ægyptum prædicatio prima; tertio ſcilicet Claudii tributa. Quæ item nonnullis

*Prima in Ægypto Evangelii prædicatio.*

ſub Tiberio Cæſare collocatur, ut videre eſt tum in Ritualium Græcorum die 25. Aprilis, ſeu Marci feſto, ac Synaxariis, tum apud Nicephorum Calliſtum, lib. 2 cap. 43. Etiam in Faſtis Siculis, ſub anno Tiberii 18, ἐχειροτονήθησαν ἐπίσκοποι *creati ſunt Epiſcopi*, Romæ Petrus, Alexandriæ Marcus, & Hieroſolymis Iacobus frater Domini. Certè & in Marci vita Arabica, à Petro Kirſtenio edita, fit à Petro Apoſtolo ipſe Patriarcha Alexandriæ; quo de nomine, mox plura.

2.

*Evangeliſta.*] pro الانجيلي *Evangeliſta*, legitur in codice Antiocheno صاحب الانجيل *autor Evangelii*, uti & poſtmodum Marcus in hac nuncupatur, quam è codice Alepenſi integram exſcripſimus, periocha. Item codex iſte heic habet الايمان بالسيد المسيح ابن الله *fides in Domino Chriſto filio Dei*, & في اسواق مدينة *per plateas urbis*. Nomen autem Marci in eo, nunc مرقص ut heic, nunc مرقس ſcribitur.

3.

*Ad ſutorem ſe contulit.*] De ſutore hoc Alexandrino, poſteà Patriarchâ, fuſior eſt hiſtoria in veteri Marci vita autoris incerti cum

Abdia

Abdia Babylonio plerunque editi, quem ſequitur Ordericus Vitalis in libro 2. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, uti & Alfricus Archiepiſcopus Cantuarienſis in Sanctorum vitis Angloſaxonicè, annis abhinc amplius ſexcentis, congeſtis; quarum exemplar Ms. autori coævum extat in bibliotheca Cottoniana.

4.

*Subulâ.*] Codice Antiocheno; فاخذ حنانيا النعل واخذ الاشفا *& ſumſit Hananias calceum & ſumſit ſubulam.*

5.

*Et prehenſo digito ejus.*] ſequitur in Codice Antiocheno; ثم قال ما بسم يسوع المسيح تبرا هذا الاصبع فانقطع الدم *tum dixit ad hunc modum, In Nomine Ieſu Chriſti ſanetur hic digitus, & ſiſtebatur ſanguis, &c.*

6.

*Et conſtituit eum Patriarcham Alexandriæ.*] Non igitur vult noſter, Marcum ipſum fuiſſe in deceſſorum ſuorum numero, ſeu Patriarcham aut Epiſcopum Alexandriæ; adeoque nec Hananiam ejus fuiſſe ſucceſſorem, ſed ab eo creatum. Dici ſolet hic Anianus, &, in veteri Marci vita, Anizanus. Certè & in Nicephori Patriarchæ Conſtantinopolitani Chronographia, in Theſauro

*Hananias Patriarcha Alexandrinus à S. Marco creatus.*

Theſauro Temporum Scaligeriano edita, legitur pro eo Anianus. Sed Codex Nicephori Ms. optimæ notæ, in bibliotheca Londinenſi publicæ, habet Ἀνανίας, uti & Sophronius; quod planè quadrat cum Eutychii Hanania.

7.

*Patriarchæ primi, Antiochenus, Romanus, Alexandrinus; & Alexandriæ Hananias primus.*

*Scilicet is primus erat Patriarcha Alexandriæ*] Ita ait noſter alibi, Petrum Antiochiam fugiſſe, & creâſſe اركاديوس بطركا على انطاكية اقام سبعة وعشرون سنة وهذا اول بطريرك صير في مدينة انطاكية. *Arcadium* (ſic in codice legitur utroque, pro eo qui vulgo Euodius dicitur) *Patriarcham Antiochiæ qui ſedit annos* 27. (codex Antiochenus habet 29.) *atque primus erat hic Patriarcha creatus Antiochiæ.* De Lino item Patriarcha primo Romæ, ſimile heic inferiùs legitur; quod perquam conſonum eſt eis qui Evangeliſtas & Apoſtolos Eccleſias ſingulares volunt quidem conſtituiſſe; ipſos verò Eccleſiæ alicujus ſingularis finibus, ob prærogativæ Sacræ amplitudinem, neutiquam circumſcriptos. Neque ſanè noſtro ita diſcors eſt hac in re Euſebius, dum non ſemel facit Anianum, ſeu Hananiam hunc, præfectum ſeu Epiſcopum Eccleſiæ Alexandrinæ primum, nec Marco in Epiſcoporum ſerie ſeu numero locum tribuit. Dicit quidem μετὰ Μάρκον *Poſt Marcum* (quod intelligi poteſt, poſtquam

Marcus

Marcus Evangelium ibi prædicaverat, & Eccleſiam fundârat; qua de re loquitur lib. 2. cap. 15.) primum fuiſſe Epiſcopum ibi Anianum. Ita in Chronico, ſub Nerone. Tantundem in Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ lib. 2. cap. 24. Sed alibi ſimplicitèr ei vocatur hic Anianus, τῆς κατ' Ἀλεξάνδρειαν παροικίας ὁ πρῶτος *Alexandrinæ parœciæ* ſeu *diœceſeos primus*; ut lib. 3. cap. 13. Et expreſſim, διαδέχεται δὲ αὐτὸν δεύτερος Ἀβίλιος, *cui ſucceſſit ſecundus Abilius*; uti & libri ejuſdem cap. 21. de Cerdone, qui tertius ab Aniano, τρίτος ἔτος, inquit τῶν αὐτόθι μετὰ πρῶτον Ἀνιανὸν προέστη, *hic tertius, poſt Anianum primum, ibi præerat*. Euſebium heic ſequitur Zonaras, cui abſolutè dicitur Abilius δεύτερος ἐπίσκοπος Ἀλεξανδρείας *ſecundus Epiſcopus Alexandrinus*. Videſis eum in Domitiano & Nerva. Sed verò obvium eſt in Epiſcoporum ſeu Patriarcharum Catalogis tam Mss. quam editis, Eccleſiaſticis Annalibus, Romanæ Eccleſiæ ritualibus, alibique, non ſolùm Anianum ſucceſſiſſe Marco, verùm & Marcum ſive Patriarcham ſive Epiſcopum Alexandriæ primum, idque à Petro, factum; annis ei interdum binis (ut apud Nicephorum Patriarcham, alios) interdum ſeptem, etiam & novem & novemdecim tributis. Conſulas Baronium tom. 1. anno Chriſti, 45. num. 46.

8.

*Patriarcha Alexandriæ.*] Non dubitavit igitur Eutychius, quin ſub ipſos Eccleſiæ Chriſtianæ natales, Patriarchæ nomen & Dignitas Chriſtianis eſſet in uſu. Certè & tres illas celeberrimas *De Patriarchæ Nomine & Dignitate.*

dignitates Patriarchales, Romanam, Alexandrinam & Antiochenam, ſuos tunc habuiſſe Patriarchas, eo ſcilicet nomine tunc creatos, aſſerit. Vide ſuprà num. 6. & 7. Quin & locum ejus perinſignem de Patriarchatibus tum his tum binis illis alteris celeberrimis, Conſtantinopolitano & Hieroſolymitano, adjicere non pigebit; quoniam horum utrunque vetuſtiorem multò facit, quam veterum aliquis, niſi Catalogos quoſdam excipias qui Patriarcham Hieroſolymitanum etiam initiis Chriſtianiſmi coævum, fortè duntaxat per prolepſin, admittant. Ubi de Concilio œcumenico ſecundo, ſeu quod celebratum eſt Conſtantinopoli ſub Theodoſio ſeniore, anno Chriſti vulgari 381, agit Eutychius, ورتبوا inquit بطريرك

رومية الاول ۞ وبطريرك القسطنطينية

الثاني ۞ وبطريرك الاسكندرية الثالث

وبطريرك انطاكية الرابع وصيروا اسقف

بيت المقدس بطريرك ۞ لانه انما كان

اسقف ۞ ولم يكن قبل ذلك علي بيت

المقدس بطريرك ورتبوه خامس وانصرفوا

*Atque ita rem ordinarunt, ut Patriarcha Romanus primus eſſet, Patriarcha Conſtantinopolitanus ſecundus, Patriarcha Alexandrinus tertius, Patriarcha Antiochenus quartus. Quin & fecerunt Epiſcopum Hieroſolymitanum Patriarcham. Nam tempore retroacto Epiſcopus fuerat Hieroſolymitanus*

*nus*

*nus, ſed non Patriarcha. Hunc autem conſtituere Quintum, & demum diſceſſerunt.* Conſtantinopolitani Patriarchatus initia ne quidem Chriſtianiſmi ac Imperii conjunctione recentiora in antecedentibus ſecerat. Sed de Conſtantinopolitano aliiſque, videſis Socratem, lib. 5. cap. 8. Theodoretum, lib. 5. cap. 9. Sozomenum, lib. 7. cap. 9. Nicephorum Calliſtum, lib. 12. cap. 13. & Concilii Conſtantinopolitani primi Canones 2. & 3. Recentiores item, ut Ioannem Morinum in Exercitationibus Eccleſiaſticis, Carolum à S. Paulo Epiſcopum Abrincenſem in Geographia Sacra, pag. 217. prçter Centuriatores lib. 4. c. 9. §. de Conſtantinopolitana Synodo, & Baronium, tom. 4. anno 381. num. 76. & anno 382. num. 19. Quod verò ad Hieroſolymitanum attinet; receptum eſt à viris doctis pleriſque contrà atque aſſerit Eutychius, adeò vetuſta non fuiſſe illius initia. Alii enim Patriarchatum illum ſeptuaginta poſteà annis, ſeu ex autoritate Concilii generalis Chalcedonenſis, quod habitum eſt ſub Martiano Cæſare anno Chriſti 451. cœpiſſe volunt. Conſulas ejuſdem actionem 7. ubi Iuvenali Epiſcopo Hieroſolymitano ejuſque Eccleſiæ tres Palæſtinas conceditur, ὑπὸ τὴν ἰδίαν ἐξουσίαν ἔχειν, *ſub propria habere poteſtate.* Cum antè Cæſareæ, ut metropoli, Antiochiæ, ut ſedi Patriarchali, ſubeſſet Hieroſolyma. Adi ſi placet, Morinum lib. 1. Exercitationem 7. Carolum à S. Paulo in Geographia Sacra pag. 310. Alii Concilio Conſtantinopolitano, quod Generale

*De Patriarchatus Conſtantinopolitani vetuſtate.*

*De Hieroſolymitani Patriarchatus initiis.*

quintum

quintum eſt, Patriarchatus hujus tribuunt initia, qua de re vide quæ habet Baronius, ex libro Cenſurũ in bibliotheca Vaticana tom. 7. an. 553. num. 245. Et Bellarminus, lib. 1. de Romano Pontifice cap. 24. *tempore*, inquit, *Iuſtiniani, id eſt, poſt annum Dom. 500. tum Imperatoris operâ tum Pontificum Romanorum permiſsione, cœpere Conſtantinopolitanus & Hieroſolymitanus Epiſcopus in numero Patriarcharum haberi, nullo ampliùs reclamante.* Sed verò neque deſunt qui antiquiorem multò faciunt Hieroſolymitanum Patriarchatum, & tunc volunt cœpiſſe ea in urbe dignitatem hanc, quando poſt Alexandrinum, Romanum & Antiochenum antiſtites, in Synodi Nicænæ primæ canone ſexto memoratos (qui ab origine Patriarchæ habiti ſunt) canon ſeptimus voluit ut Æliæ, id eſt Hieroſolymæ, Epiſcopus honoraretur ac haberet item τὴν ἀκολουθίαν τῆς τιμῆς *honoris Conſequentiam.* Qua de re vide Theodori Balſamonis ibidem Scholia. Adde quæ notavit Severinus Binius ad Epiſtolam tertiam Anacleti. Quatuor autem quos diximus, præter Romanum, Quatuor Patriarchæ Principales dici ſolent Iuriſconſultis, ad Diſt. 22. c. 7. *Alii vero*, inquiunt, *propriè dicuntur Primates, ut Aquilegienſis, Gradenſis, Toletanus, Cantuarienſis, Bituricenſis, & ſimiles. Iſti tamen quandoque vocantur impropriè Patriarchæ.* Sic Durandus in Speculo lib. 1. tit. de Diſpenſationibus. §. Sunt quoque, Cardinalis Iacobatius, lib. 1. de Conciliis Art. 1. §. 256. Conſoni ſunt Innocentius tertius in c. Antiqua

23.

23. tit. de Privilegiis, Nicolaus Boerius de Autoritate Magni Concilii numero 50, Lælius Zecchius de Rep. Eccleſiaſtica, capite de ſtatu Patriarcharum. Matthias Ugonius de Præſtantia Patriarchali, Lancellottus Conradus in Templo Judicum, lib. 2. cap. 3. Michael Ferrus Manrique de Pręcedentiis Eccleſiaſticis Quæſt. 33. Tobias Paurmeiſter de Juriſdictione Imperii Romani lib. 2. cap. 7. alii. Plura de his occurrunt apud Chriſtophorum Roſin'acum l. 2. de re Sacerdotali c. 33. & 34. Antonium Auguſtinum lib. 2. Epit. Juris Pontificii Veteris & Blaſium Bagnum de præcipuis S.R.E. Dignitatibus tract. 12. De Dignitatis autem & Nominis hujus, in Chriſtianiſmo, vetuſtate ſimul ac uſu habentur plurima notatu digniſſima apud Petrum Berterium in Pithanis, Joannem Morinum in Exercitationibus, & viros doctos qui de Regionibus Suburbicariis (re cum primis perpendendâ, quoties quis de arrogata Pontifici Romano poteſtate diſquiſitionem init) pridem diſputârunt. Occurrit quidem mentio Patriarchæ Alexandrini, ſub Hadriani Auguſti tempore (id eſt, ſub annum Chriſti centeſimum vigeſimum) veluti nominis notiſſimi. Ipſe ſcilicet Hadrianus in Epiſtola ad Servianum Conſulem, quam ex Phlegontis liberti ejus libris in vitam Saturnini retulit Flavius Vopiſcus, mores Ægyptiorum ſui ævi deſcribens, idque tam Chriſtianorum quam Judæorum, aliorumque ibi degentium, *Ipſe ille*, inquit, *Patriarcha*, *quum Ægyptum venerit*, *ab aliis Serapidem adorare*, *ab*

*De Dignitatis & Nominis Patriarchalis Origine.*

*aliis cogitur Chriſtum*. Quod ait, *cum Ægyptum venerit*; fortè Patriarchæ ſive ab exilio aut fuga, ſive à peregrinatione, ut munus ſuum per ampliſſimas Ægypto conterminas regiones, quarum etiam Præfectus ſacer erat, obiret ſuſceptâ, reditum innuit. Certè & Judæis ſui fuere etiam per Imperium Romanum Primates & Patriarchæ; nunc Illuſtres nunc Spectabiles dicti in Jure Cæſareo, ut videre eſt in l. 3. & 17. C. tit. de Judæis, & in Cod. Theodoſ. lib. 16. tit. 7. § 11, 14, 15, 17. quibus adjice Epiphanii hæreſin Ebionitarum, ſeu 30. num. 4. atque ibi Dionyſium Petavium, & Petrum Molinæum in Vate lib. 2. cap. 3. & num. infrà 9. Indè ſatius eſſe vult Berterius, horum Patriarcham, non Chriſtianorum ibi intelligere; cùm, propter muneris neceſſitatem in Ægypto, imò in ipſa etiam Alexandrinâ civitate, aſſiduum fuiſſe oportuerit Patriarcham Chriſtianorum; & vulgo forſan ignotum eſſet eo tempore quid Judæus a Chriſtiano differat. Sic ille lib. 2. Pithanon cap. 1. Et Joſephus Scaliger lib. 3. Canonum pag. 297, Hadriani illud, de Patriarcha Judæorum capi vult, non de Antiſtite Alexandrino, *qui hoc nomen* (ut ille) *vix CC annis poſt Hadrianum habuit*. Sed viri magni, Iſaacus Caſaubonus & Claudius Salmaſius ad Vopiſcum, Baronius (tom. 2. anno Chriſti 112. num. 2.) alii, de Patriarcha ſumunt Chriſtiano locum illum Hadriani. Hæreo ſanè. Sed quid hoc eſt, Patriarcham Chriſtianum cogi

adorare

adorare Chriſtum? De Judaico, etiam ob ea vocabula, forſan rectiùs intelligi videatur. Memorantur etiam Patriarcharum ſedes in Epiſtolis Anacleto Pontifici Romano (ſub annum Chriſti 110.) tributis. Vide Diſt. 99. cap. 2. Id quod nonnulli arripiunt ut telum quo earum autoritatem confodiant; quaſi Patriarchæ vocabulum in dignitatibus Chriſtianis recentioris fuiſſet Anacleto ortûs. Ipſi de argumento viderint. Conſule Turrianum adverſus Magdeburgenſes lib. 2. cap. 2. Nomen eſt Judæis, puto, & Chriſtianis ſingulare. Neque apud Paganos in dignitatibus ſuis compertum. Tametſi neſcio unde deceptus Baronius aſſerat apud Herodotum Patriarchas dictos, Ægyptiis veteribus, eos qui in ſacris principem locum tenebant. Nil apud Herodotum ejuſmodi legitur. Quanquam, velut in Baronii verba juratus, Severinus Binius idem ipſum ſecurè repetat in Notis ad Epiſtolam ſecundam Stephani Papæ primi. Quin & Iſ. Caſaubonus Gamalielum Patriarcham, Marcello Empirico ſic dictum, de dignitate Pagana intelligit. Sed nomen ipſum ſatis refragari videtur. Nam & Gamalielum Patriarcham Judæis ſcimus ſub ævum Marcelli fuiſſe. Quod ſatis elicitur ex Epiphanii loco jam antè citato & l. 22. codicis Theodoſ. lib. 16. tit. 8. Sæpenumerò occurrunt in lingua Prophetarum ראשי אבות *capita Patrum*, ſeu *Principes familiarum*, quorum vicem pleiunque apud interpretes Græcos obtinent ἄρχοντες τῶν πατριῶν,

*Patriarchalis Nominis ſignificatio, tum in Iudaiſmo tum in Chriſtianiſmo.*

*Principes familiarum*, ſeu *cognationum.* Interdum etiam (ut in 1. Paralip. 8. 28.) vocabulum hoc unicum, Πατριάρχαι habetur; unde & Judæis in uſu erat atque etiam in Actis Apoſtolorum & Epiſtola ad Ebræos uſurpatur, & in vulgata retinetur. Stante autem republicâ Ebraicâ, palàm eſt ex eorum Pandectis, non Magiſtratûs aut Juriſdictionis nomen hoc fuiſſe, ſed tantùm Dignitatis ac Eminentiæ quæ reverentiam conciliaret. Nec magis quidem Juriſdictionis quàm Xyſtarchæ nomen inter Xyſticos. Utcunque poſtmodùm inter Judæos ſe res aliter habuerit; quod ex utriuſque Codicis titulo de Judæis eſt eliciendum. Sed illinc dubitari nequit quin Patriarchæ vocabulum ſibi ſumſerint Chriſtiani veteres. Etenim ſimplici Epiſcopi nomi-

*Epiſcopi in Chriſtianiſmo nomen unde.*

ne, ex varia Græcorum item & Latinorum uſu arreptum (quod ſcimus ex Ariſtophano ejuſque in Aves Scholiaſte, aliiſque Scriptoribus Græcis, Cicerone ad Atticum, lib. 7. epiſt. 10. & Arcadio in Pandectis, l. 8. tit. de Muneribus & Honoribus ¶ Hirenarchæ; ubi *Epiſcopi* dicuntur, ex veterum uſu, *qui præſunt pani & cæteris venalibus rebus quæ civitatum populis ad quotidianum victum uſui ſunt*, ſeu Ædiles Cereales) ſimplici inquam eo nomine, inſpectionem ſeu procurationem, quemadmodum & Ebræi τοῦ חזן *inſpectoris* ſeu *ſpeculatoris*, aut *Epiſcopi* Synagogæ nomine, contractiorem ſeu anguſtiorem denotabant. Patriarchæ autem voce, Epiſcopi ſeu Antiſtitis quamplurimas

rimas & diffuſiores eccleſias earumque membra cognatione ſeu fraternitate Chriſtianâ conjuncta, ut ſummi parentis, paſcentis, ac curantis, amplitudinem deſignabant & reverentiam ſummam. Syri & Arabes poſt Ebræos intelligunt, quaſi *patrem ſummum*, aut ſimplicitèr *patrem* interpreteris. Unde in Actis Apoſtolorum cap. 2. 29. pro Patriarcha, ſubſtituitur ריש אבהתא *Pater patrum*, & رٰس الابا idem ſonans & cap. 7 8 & 9. אבהתן & ابونا *Patres noſtri* pro Patriarchis. Vocabulum autem quo uſus eſt noſter, & occurrit non rarò apud Georgium Elmacinum pro Patriarchâ, id eſt, البطريرك è Græco palàm eſt in Arabicum tantùm deformatum. Pro *primo patrum*, ſeu inter *patres primo* ſeu *principe* ſumitur; ac ſic verti ſolet, velut *Primati* item ſynonymum. Neque heic poſteriores vocabuli ex ſe ſyllabæ imperandi, velut jure aliquo magiſtratûs, poteſtatem ullam, ſed dignitatem tantùm & eminentiam ſignificant ſacram; quemadmodum ſimilis terminatio fermè inter veteres, in Bithynarcha, Syriarcha, Lyciarcha, Cappadocarcha, id genus aliis, *quorum nomen* (ut aiunt Honorius & Theodoſius) *votivæ feſtivitatis ſolennia dedicavit*, ſeu ad ſacra ſpectavit edenda munera. Vide C. Theodoſ. lib. 15. tit. 9. de Expenſis Ludorum l. 2. Quo pertinent etiam οἱ Ἀσιάρχαι in Actis Apoſtolorum cap. 19. 31. qui Principes Aſiæ in

 verſionibus,

verſionibus, ſeu, ut in Gallica, *Aſiarques* nuncupantur. Ii enim Sacerdotes Aliæ, aut ſacris præfecti. Conſulas Dionyſium Gothofredum ad l. 8. D. tit. de Vacatione & Excuſatione munerum, & Guidum Pancirollum in Notitiam Imperii Orientalis cap. 105. Uti &, ſi placet, ea quæ congeſſimus olim nos ad Smyrnenſem Donariorum, in Gymnaſii ornatum, Recenſionem.

9

*Duodecim Presbyteros cum Hanania*] Codex Antiochenus, اثني عشر قسيس وامرهم اذا مات البطريرك ان يختاروا واحد من هولاي الاثني عشر *Duodecim Preſbyteros, & præcepit eis ut mortuo Patriarcha eligerent unum ex ipſis duodecim Presbyteris &c.* Anonymus autor vitæ Marci vetus, ejuſque ſequaces, ut Ordericus Vitalis, Alfricus, alii, eum aiunt ordinâſſe Anianum ſeu Hananiam ibi *Epiſcopum & tres Presbyteros, id eſt, Melium, Sabinum, & Cerdonem, & ſeptem Diaconos & alios undecim ad eccleſiaſticum miniſterium pertinentes.* Quod Arabicè uſurpatur heic pro Presbytero eſt قسيس *Kaſhiſh* quod *Seniorem, presbyterum*, ſeu *ſenem* denotat, etiam ex origine Chaldaica ſeu Syra קשיש *Kaſhiſh*, unde & *Caſcus* olim in Latium vetus, pro Sene, derivatur.

*Presbyteri* Nomen.

*Caſcum*

*Caſcum Caſcam duxiſſe non mirabile eſt*, dixit Manlius Poeta priſcus apud Varronem, lib. 6. de lingua Latina; ubi plura de eo is habet vocabulo. Subſtituitur quidem eadem vox pro eo quod Græcè & Latinè eſt Epiſcopus, tum in Syri tum in Arabis, qui Syrum imitatur, Novi Teſtamenti verſione. Id videre eſt in Epiſtola ad Philippenſes cap. 1. 1. prima ad Timotheum cap. 3. 2. & ad Titum cap. 1. 7. tametſi habeant etiam alibi verſiones illæ verbum ipſum Epiſcopi ex Græco in idiomata illa detortum. Sed manifeſtum eſt, Eutychium heic Presbyteros intelligere, quatenus ab Epiſcopis fuerint diſcriminati; cum & tunc & per ſecula aliquot inſequentia nullum velit fuiſſe per Ægyptum, præter Patriarcham Alexandrinum, Epiſcopum.

*Presbyterorum nominis uſus, ut inter Iudæos veteres, ſic etiam, poſt excidium Vrbis, recentioribus.*

Quemadmodum autem Patriarchæ nomen ſuprà ex Judaico vocabuli uſu in Chriſtianiſmum eſt derivatum, ſic & inde petendum manifeſtò Presbyterorum vox. Eos זקנים vocitârunt. In Federe vetere ſexcenties occurrit illud, quod Seniores ut plurimùm, ſeu πρεσβυτέρους, non Senes vertunt interpretes Græci. Unde tum manavit in Chriſtianiſmum nomen, tum in Judaiſmo recentiori, ſeu poſt urbis excidium retentum eſt. Nam in Arcadii & Honorii Auguſtorum ad Cæſarium Præfectum prætorio reſcripto, *definitum eſt, ut privilegia his qui inluſtrium Patriarcharum ditioni ſubjecti ſunt, archiſynagogis, Patriarchiſque ac Presbyteris, cæteriſque, qui in ejus religionis ſacramento verſantur, nutu noſtri*

*nominis*

*nominis perſeverent ea, quæ venerandæ Chriſtianæ legis primis Clericis ſanctimonia deferuntur.* In alio eorundem legitur; *Superſtitionis indignæ eſt, ut Archiſynagogi ſive Presbyteri Iudæorum, vel quos ipſi Apoſtolos* (ſcilicet שלוחים) *vocant, qui ad exigendum aurum atque argentum à Patriarcha certo tempore diriguntur à ſingulis Synagogis exactam ſummam atque ſuſceptam ad eundem reportent.* Quæ habentur in codice Theodoſiano, lib. 16. tit. 8. l. 13. & 14.

## 10.

*Cujus Capiti reliqui undecim manus imponerent*] Patriarcham ita à Presbyteris electum & creatum vult, ut tum ex ipſis tum ab ipſis electus, à reliquis undecim χειροθεσίᾳ ſeu χειροτονίᾳ, id eſt, *Impoſitione manuum*, cum adjecta Benedictione, crearetur, ſeu, ut loqui amant, conſecraretur. Impoſitionis Manuum, velut ritûs in creandis Presbyteris ac Miniſtris Eccleſiaſticis uſitati, mentio eſt ſatis obvia in Actis & Epiſtolis ſacris. Animadvertendum autem eſt, quemadmodum nomina officiorum ſacrorum, ut Patriarcha, Presbyter, Apoſtolus, Diaconus, Primas & Epiſcopus, in Chriſtianiſmum ex Judaiſmi veteris uſu ראש אבות, זקן, שליח [illegible], שמש, ראש & חזן, jam dictis ſatis reſpondentium, manârunt (unde & Sacerdotum, Ἀρχιερέων, Ἱερέων, Levitarum etiam nomina noſtris aptârunt majores) ita & ritum ſive Presbyterorum, ſive aliorum, ut Patriarchæ heic, creandorum hunc,

*De Ordinatione, ac Manuum Impoſitione.*

*Hierarchiæ Chriſtianæ Nomina è Iudaiſmo traducta.*

hunc, qui præ aliis erat ſingularis, ab Ebraico fonte, uti alia non pauca, tum ex Inſtitutione tum ex Imitatione manâſſe. Atqui non à more manuum victimis imponendarum, quod voluere olim viri perdocti aliqui; ſed planiſſimè à perquam ſolenni ac antiquiſſimo Impoſitionis apud Ebræos Manuum, in זקנים ſeu *Presbyterorum* ſuorum creatione, more, eoque uſitatiſſimo. Nimirùm quiſquis in poteſtatem judiciariam ſeu cauſarum ritè cognoſcendarum facultatem evehendus erat, is per Manuum Impoſitionem, verbis inſuper de creatione conceptis, dignitatem eam regulariter adipiſcebatur; adeò ut dein dignus ſeu idoneus haberetur qui in Synedria, ſive Vigintitriumviralia ſive Septuagintauniusvirale cooptari legitimè poſſet, ibiq; Judiciis præeſſe. Neque enim Impoſitio illa Judicem creabat, ſed ita idoneum reddebat, ut ad Judicis munus obeundum ritè poſſet, ubi locus erat, cooptari. Seculis quidem recentioribus (ſub natales inquam Chriſti) acceſſerunt nomina Rabbi, Rabbenu, Morenu, alia quibus creati variatìm inſigniti ſunt. Sed ab ipſis reipublicæ Ebraicæ initiis, & nunquam non, זקנים ſeu *Presbyteros* aut *Seniores* dictos volunt. Unde & Talmudicis, id eſt Juriſconſultis Ebrȩorum, paſſim סמיכה זקנים habetur pro *Impoſitione manuum quâ Presbyteri fiunt*, ſeu pro ipſo Ordinationis actu. Facultas autem judiciaria ita collata duplex erat. Altera Univerſalis, quæ Cauſas omnimodas complexa eſt; nec Tempore aut Loco intra terram ſanctam circumſcripta.

*Presbyterorum, apud Iudæos veteres, Creatio, ſeu Ordinatio.*

cumſcripta. Altera Particularis, atque intra tum Cauſarum aliqua genera & Temporis etiam interdum anguſtias arctata; pro arbitrio ſcilicet eorum qui crearent ſeu ordinarent. Jus integrum ac Formula Ordinationis ejuſmodi in Quintuplici cernitur conſideratione. Originis unde petitur; Perſonarum, quibus facultas Ordinandi; Verborum conceptorum Impoſitioni manuum adhiberi ſolitorum; Numeri Perſonarum quæ Ordinationi neceſſariò adeſſe deberent; ac Effectûs quem Ordinationem ejuſmodi conſequi volunt Ebræorum Juriſconſulti. Origo collocatur ab eis in ævo Moſaico; adeoque tum à Septuaginta Senioribus Moſi, Numinis juſſu, nec ſine Manuum, quod tradunt illi, Impoſitione, in Numerorum undecimo adſcitis (unde Synedrii Magni Natales) derivari volunt, tum à celeberrimo illo exemplo Joſuæ cui ex præcepto divino impoſuit Moſes manus, ut videre eſt Numer. 27. 18. Atque inde Ordinationis illum Ritum perpetuò aiunt duràſſe. Perſonæ, quibus facultas erat Ordinandi, dupliciter conſiderandæ. Aut ſeculis in vetuſtioribus ſeu quæ Hillele Principe Synedrii Magni (qui poſt excidium Templi ſecundi longævus diù floruit) ſunt anteriora; aut in eis quæ inde ſunt ſecuta. Antè Hillelem illum היה כל אחד ואחד ממנה את תלמידיו *quilibet* (antè creatus ſeu ordinatus) *ordinabat diſcipulos ſuos*. Hillelis autem illius tempore, veteris hujus moris etiam à Moſaico ævo perpetuò deducti novatio ejuſmodi inolevit,

*Presbyteros creandi, apud Iudæos veteres, ritûs Origo.*

*Quibuſnam facultas eſſet Presbyteros, apud Iudæos, Ordinandi.*

vit,

vit, ut non ſine Principis Synedrii, etiam demùm ut nec ſine Synedrii ipſius autoritate, quis poſſet legitimè ordinari. Verba ſolennia Impoſitioni Manuum adhibenda, alia fuere Ordinationis, quam diximus, Univerſalis, alia Particularis. Univerſalis hæc vel hujuſmodi. הרי את סמוך ויש לך רשות לדון אפילו דיני קנסות *Ecce Creatus ſeu Ordinatus jam ſis, & facultas tibi ſit judicandi etiam cauſas pœnales.* Quali formulâ creatus judiciis omnimodis par erat. Nam de eis quæ pœnalia non erant, veluti vindicationibus rei, condictionibus, & quæ ſunt reliqua petitoria, cognoſcere licuit etiam non Ordinatis, ex compromiſſo, quaſi arbitris, in forum Triumvirale cooptatis. Poſtquam autem Rabbinatus & ejuſmodi dignitatum nomina alia acceſſere, etiam ea ſubinde ſunt ipſis Ordinationis verbis adjecta. In Particulari Ordinatione ſeu, ut vocant, לדברים יחידים *rebus ſingularibus aliquot* facta, Cauſæ quibus facultas data circumſcribebatur ad hunc modum deſignari ſolebant. ויש לך רשות לדון ולא להורות באיסור והתר לדון באיסור והתר ולא לדון בדיני ממונות *Et ſit tibi facultas judicandi, ſed ita ut minimè ſit tibi facultas decernendi quinam ritus illiciti quinam liciti; aut ſit tibi hujuſmodi facultas decernendi, ità tamen ut cauſas pecuniarias non ſit tibi facultas judicandi.* In Synedriis ſcilicet. Nam ex compromiſſo fiebant judices cauſarum pecuniariarum, ſeu non pœnalium, legitimi, Triumviri etiam non omninò ordinati. Aut

*Verba in Presbyteris Ordinandis, apud Iudæos, ſolennia.*

רשות לזה ולזה אבל לא לדיני קנסות *facultas de jam dictis utriſque judicandi, ſed non de pœnalibus.* Aut לדין דיני קנסות אבל לא להתיר בכורות במומים *judicandi de pœnalibus, ſed non de primogenitorum vitiis decernendi.* Aut להתיר נדרים בלבד *decernendi de Votis tantùm ſolvendis.* Tempus in Ordinatione Particulari ſic adjicebatur, יש לך רשות לדין או להורות עד שיבא הנשיא לכאן או כל זמן שאין אתה עמנו במדינה *Sit tibi facultas Iudicandi & Decernendi uſque dum venerit huc Princeps, ſeu quamdiu non fueris ipſe nobiſcum in Vrbe.* Diximus autem regulariter per Manuum Impoſitionem, adcóque formulis, quales attulimus, adjunctis ipſi Impoſitionis actui, dignitatem ſeu facultatem ejuſmodi collatam. Sed exceptio admittenda. Nam etiam tradunt Juriſconſulti Ebræorum, ſine Impoſitionis actu, per Epiſtolam, ab eo cui Ordinandi facultas eſſet, miſſam (quoties locorum diſtantia præſentiam impediret) legitimam fieri Ordinationem. Sed caſus hic ſingularis eſt. Jus Ordinandi commune & ab intima antiquitate receptum, eſt quale narravimus; ipſaque Ordinatio eodem vocabulo nuncupata, quo Manuum Impoſitio ſimplicitèr deſignata. Numerus Perſonarum Ordinationi omninò neceſſarius, erant minimùm Treſviri; id eſt bini præter ipſum Ordinantem. Unde in Pandectis Ebræorum סמיכת זקנים בשלשה *Ordinatio Presbyterorum per Impoſitionem Manuum, tribus fieri debet præſentibus.* Ità ſcilicet ut alii bini ſive antè or-

*Numerus Perſonarum Ordinationi, apud Iudæos, Preſbyterorum, neceſſarius.*

dinati

dinati ſive minimè ordinati, præter ipſum Ordinantem, qui ſemper ex Ordinatis eſſe debuit, actui adeſſent. Sic oportet rem intelligere; non ut Petrus Galatinus & Gulielmus Poſtellus, qui Triumvirorum quemlibet ex Ordinatis eſſe debere perperàm ſcripſerunt. Hic in lib. 4 de Concordia orbis pag. 377, ille de Arcanis Catholicæ Veritatis lib. 4. cap. 6. Quod ad Effectum attinet quem Ordinationem hanc conſequi voluere Juriſconſulti ſimul & Theologi Ebræorum (nam ipſis iidem fuere ipſi Theologi ſui & Juriſconſulti) is aut Externus eſt aut Internus. Externus ſatis cernitur in eis quæ de facultate Judiciaria ſic collata jam diximus; qualis nimirùm Judices non fecit, aut Juriſdictionem omninò aliquam Ordinatis tribuit; ſed idoneos eos tantùm reddebat Judiciis exercendis (quemadmodum qui in Academiis Doctoratu inſigniuntur, aut apud Anglos *Servientis ad Legem* titulo) adeò ut in Synedria ritè cooptari poſſent. Internus Ordinationis effectus habebatur eis ejuſmodi, ut Spiritus Sanctus (nam tum Judæi, ut videre eſt paſſim in eorum Commentariis, tum Mahumedani, quod ſcimus non ſolùm ex Avicenna, ſed ex ipſo Alcorano, Spiritum Sanctum eodem nomine cum Chriſtianis ſed diverſâ notione agnoſcunt) ut Spiritus, inquam, Sanctus ſuper Ordinatos quieſceret. De LXX Senioribus Moſi ejuſmodi Ordinatione adſcitis, & de eis qui ſeculis ſequentibus ritè ordinabantur, aiunt; ותנוח עליהם שכינה *Et quievit ſuper eos*

*Ordinationis Iudaicæ Effectus Externus.*

*Effectus Ordinationis Iudaicæ Internus.*

 *Majeſtas*

*Majeſtas Divina*, quam & רוח הקודש *Spiritum Sanctum* vocitant. E ſacro ſermone habent quæ ad Effectum hunc facere volunt. Vide Numer. 11. 26. & Deut. 34. 9. Quæ autem ſummatìm contexuimus de hoc ritu fuſiùs habentur in titulo Talmudico *Sanhedrin* cap. 1 & Gemara Hieroſolymitana ibi, fol. 19, col. 1, Babilonia fol. 14 a; item apud Moſem Maimonidem, Halach. *Sanhedrin* cap. 4. Moſém Mikotzi Præcepto affirmativo 97, Abraham Zacuthium in *Sepher Iuchaſin* fol. 60 a, Eliam in Thisbite verbo סמך & חבר. Adde Petrum Galatinum loco citato, & Poſtellum, Joſephum Scaligerum in Elencho Trihæreſii cap. 10. Nicolaum Serrarium in Rabbino priori, Petrum Cunæum de Republica Ebræorum lib. 1 cap. 12. Joannem Buxtorfium in Lexico Chaldaico, verbo סמך, Walonem Meſſalinum de Epiſcopis & Presbyteris cap. 5 pag. 393, Hugonem Grotium in Notis ad Evangelia pag. 329. Certè & de ſeculorum recentiorum, à veteris Judaiſmi fonte, uſu in creandis eis qui in Synedria cooptandi fuere apud Judæos Captivitatis, teſtimonium habetur in Beniamini Tudelenſis Itinerario (Editionis Ariæ Montani pag. 68 & 69, Conſtantini L'Empereur pag. 73 & 74,) cui priuſquam fidem des, conſulas preſtantiſſimi viri jam dicti Conſtantini Diſſertationem de libro illo ad Lectorem. Id intereà certum eſt, tametſi non raró occurrat apud Talmudicos, Rabbi Hillelem Principem Synedrii antè memoratum, fuiſſe סוף הנסמכים *ultimum*

*ultimum Ordinatorum* (quod denotat ſolùm eum fuiſſe, ex eis qui undiquaque ritè & ex more majorum ordinati ſunt, poſtremum) nihilominùs etiam ſeculis ſequentibus Ordinationis ritum qualemcunque inque eo Manuum Impoſitionem manſiſſe. Jam verò ſcimus etiam victimis immolandis apud Judæos, aliiſque actibus ſolennibus, tum apud ipſos tum in Chriſtianiſmo, Impoſitionem hanc adhiberi ſolitam; unde nimirùm præter Benedictionem ſeu Invocationem divinam, (quæ Impoſitioni ejuſmodi aut expreſſim aut tacitè ut comes adeſſe ſolet) ipſa Res ſeu Perſona de qua agitur palàm certiúſque deſignatur. Nam & traditio quæ tranſlatio eſt de Manu, ut aiunt Juriſconſulti, in Manum, dominio rerum corporalium transferendo, in Jure Cæſareo adhibetur. Sed quemadmodum ex cauſa conjuncta ſeu titulo Dominium naſcitur, non ex ipſa ſimplici traditione (nam ſic etiam depoſiti ſeu commodati traditi Dominium tranſiret) ità ex verborum conceptorum formula, in Ordinatione jam oſtenſa, ſeu facultate conceſſa, ipſa fiebat Ordinatio; Perſonâ per Impoſitionem Manuum ſignatè indicatâ. Unde & per Epiſtolam, ut dictum eſt, quæ deſignationem ſuppleret manualem, ordinare licuit. Sic hæreticis reſipiſcentibus, poſt exomologeſin, pax dabatur, non ſine Manuum Impoſitione, ut certò deſignarentur. Quod ſcimus ex Dionyſio Alexandrino apud Euſebium lib. 7. cap. 2. Eccleſiæ Africanæ Canone 57. & Synodi Nicænæ

*Manualis Rei ac Perſonæ deſignatio variatim adhibita.*

primæ

primæ Canone 8. Similitèr in manumiſſionibus per vindictam, ſeu libertate per vindictam imponenda, in Jure Cæſareo veteri, & in dignitatibus ac præfecturis per Inveſtituram conferendis (cui apprimè reſpondet in Arabiſmo خلع عليه *induere aliquem dignitatis veſte ſeu ipſa dignitate*) etiam in Gradibus Academicis aliquot tribuendis, perſonæ habetur Manualis deſignatio. Etiam & ritus olim erat alicubi in Chriſtianiſmo, ut cum Manumiſſiones ab Eccleſiaſticis fierent, ipſorum aliquot Manus, manumittendi capiti, in ipſo manumiſſionis actu, quæ per ſyngrapham fiebat, imponerentur, ut videre eſt in Exemplo ab Hieronymo Bignonio allato in Notis ad Marculphi Formulas pag. 577. Atque ut Perſonis ſic Rebus, ad certam deſignationem, Imponere Manus ſolenne erat. Ita ſe res habuit olim dum Manum imponendo ſive Evangeliis, ſive Cruci, ſive Reliquiis, ſive harum Capſulis, jurabant; ità hodieque. Iniquum igitur ex antè oſtenſis neutiquam fuerit exiſtimare, Manuum Impoſitionem in Preſbyteris ordinandis apud Chriſtianos, ex uſu illo, quem indicavimus, Ebraico deſumtam eſſe. Atque ſicut Baptiſmus Chriſtianorum Ebraicum Baptiſmum, quo tum parentes ipſorum, ut volunt ipſi, tum Proſelyti Judaiſmo initiabantur, haud parùm imitabatur (qua de re conſulas ſi placet lib. 2. de Jure Naturali & Gentium juxta placita Ebræorum cap. 2. & ſequentia) unde nec novus

*Manuum Impoſitio, in Ordinationibus, Chriſtiana, è Judaiſmi uſu derivata.*

novus viſus eſt hic ritus cum fide Chriſtianâ imbutis adhibebatur ; & ut Cœnæ Domini inſtitutio admodùm particeps erat celebrationis apud eos Paſchalis ( quâ de re vide Joſephum Scaligerum lib. 6. de Emendatione Temporum, pag. 536.) ipſique Paſchatis noſtri Termini Paſchales, illorum temporis ratiocinio veteri, utcunque nobis aliter atque aliter intellecto, planè debentur ; ita & ex eorum uſu vetuſtiſſimo manavit ritus Ordinationis Presbyterorum. Quæ, ſicut antè erat conceſſio legitima facultatis de Jure Ebraico ſive univerſalitèr ſive particularitèr, modo quo oſtenſum eſt, judicandi ac decernendi, (nec tamen niſi Ordinatus in judicum aliquem conſeſſum ſeu Synedrium more patrio inſuper cooptaretur) ita nunc Creatio erat Preſbyterorum, Epiſcoporum, Paſtorum, per ſucceſſiones ab Apoſtolis derivata; eorum nempe qui Evangelium prædicarent, propagarent, publicè exponerent & ſacra præſtarent aliis Chriſtianiſmi Miniſteria. Certè libentiùs ſententiæ huic forſan accedet quis ingenuus, ſi penitius adverterit tum quod tam in receptis Ebræorum quam Chriſtianorum moribus, hac in re, de Spiritu Sancto habetur, tum quod de Ternario minimùm numero, qui Ordinationi, ut ſupra docuimus, Ebraicæ ſemper neceſſarius erat, in Epiſcopis Chriſtianorum ordinandis legitur. Cujus vetuſtiſſimum memoratur veſtigium in ipſo Jacobo fratre Domini Epiſcopo Hieroſolymitano à Petro, Jacobo & Joanne ordinato; idque ex Cle-

mente apud Euſebium & Nicephorum. Vide Gratian. Diſt. 64. c. 1. & 66. c. 2. Freculphum Lexovienſem tom. 2. lib. 1. cap. 17. & Damaſum in Epiſtola 5, ac in edit. Mileſiana, 9. & Canon. 13. Cod. Eccl. Africanæ. Hinc Matthias Ugonius in Tractatu de Præſtantia Patriarchali, *Ex Hujus*, inquit, (Jacobi) *conſecratione, Eccleſia traditionem accepit ac Epiſcopis, omnibus formam dedit, ut minùs quam à tribus Epiſcopis conſecrationes eorum non celebrarentur. Vnde Epiſcopi non ſunt qui minùs quàm à tribus ordinati ſunt Epiſcopis.* Quibus tamen perquam adverſa ſunt quæ de Epiſcopo Alexandrino à Presbyteris, ut vides, creando habet tum Eutychius noſter, tum Hieronymus. Quin etiam à tribus ordinatur Paulus Apoſtolus Gentium apud Hieronymum in ejus vita. Sed hac in re confundi ſolet non raro Electio ſeu Admiſſio cum Ordinatione. Adeas Concilii Nicæni primi Canonem 4. & Balſamonem & Zonaram ibidem, præter Theodoritum hiſtor. Eccleſiaſt. lib. 5. cap. 9. & Syneſium Epiſt. 67. Si igitur Eutychio noſtro fides, hallucinantur nimiùm qui, dum ad locum Hieronymianum in præfatione ſuperiùs allatum extricandum ſe torquent, aſſerere audent Electionem Presbyterorum Alexandrinorum *talem fuiſſe qualis in Germania fieri ab Eccleſiarum capitulis ſolet*. Ita ad Hieronymum Marianus Victorius Epiſcopus Amerinus. Quaſi Epiſcopi aliunde accerſiti creaſſent, ipſi verò Presbyteri tantùm elegiſſent. Neque infrequens eſt ejuſ-

modi

modi interpretatio Hieronymi apud Theologos, nec non obvia. Sic etiam Vincentius Cabotius Juriſconſultus lib. 1. Variarum Diſputationum cap. 2. Sic alii. Sed ut Eutychio intereà ita & ipſi etiam Hieronymo ſunt, quotquot rem ſic explicant, adverſiſſimi. De Impoſitionis autem Manuum Uſu & Diſcrimine in Orientali & Occidentali Eccleſiis, ex vetuſtate recepto, conſulas Petrum Arcudium de Utriuſque Eccleſiæ Concordia lib. 6. cap. 4. & ſequentia, & Joannem Baptiſtam Catumſyritum in Prolegomenis, cap. 122. cum ibi ſequentibus. Jam verò qui ſic electi & in munus Presbyterale χειροτονίᾳ, ſeu χειροθεσίᾳ, ſcilicet *Manuum Impoſitione* cooptati ſunt, in *Ordinem*, poſteà in Chriſtianiſmo, coaleſcere dicebantur ſingularem, id eſt *Ordinem Presbyterorum*; quemadmodum & alii, in munera, apud Paganos, ſive ſacra ſive profana nomine communi eademque lege, pro morum varietate, ſive in Urbe ſive in Municipiis adſciti, Ordinem faciebant. Hinc *Ordinari* verbum inolevit in Occidente pro eo quod eſt χειροτονεῖσθαι, ſeu *in Ordinem illum Manuum Impoſitione cooptari*; unde & *Ordinatio* pro ipſo actu. Et quia ſacra eis obeunda Miniſteria, *Ordo* ille dictus *Sacer*. Et Πρεσβυτέριον interdum, ipſe Ordo eſt, ut apud Ignatium in Epiſtola ad Trallianos. Notiſſima ſunt nomina illa veteris Romæ, (quod eſt heic advertendum) Ordo Senatorius, Ordo Equeſtris, Plebeius. Certè & Senatus nomen, & Senatorum Ordo, ἡ γερουσία, ac

Ordinis *Nomen, apud veteres; unde in Occidente*, Ordinationis *&* Ordinandi *Voces.*

ac ejuſmodi voces aliæ, Ebræorum τῶ וְקֵנִי□ ſeu *Senum* aut *Seniorum* munus, velut ex origine; redolent. Ordines item fuere Comitum. Et Ordo Decurionum paſſim occurrit. Ciceroni etiam memoratur Ordo Publicanorum, lib. 10. Epiſt. 9. ad Craſſipedem. Atque in marmoribus priſcis Ordo Aquileienſium, Oretanorum, Britonum, Tarraconenſium, id genus quamplurima alia obitèr viſuntur. Hinc *Ordine moveri*, *Ordine interdici*, *in Ordinem redire*, *in Ordinem allegi*, *ad Ordines reduci* linguâ Juriſconſultorum, velut Ulpiani, Papirii, Papiniani in L. 3. §. 1. & L. 13. §. 1. D. tit. de Decurionibus, L. 15. D. tit. Ad Municipalem, & in Novella Majoriani 1. alibique ſæpiùs. Ipſaque ſanè allectorum Curia, Corpus, Collegium ſeu Sodalitium, Ordo eſt. Et Ταξεῶται, quaſi Ordinatos diceres, ſunt in Ordinem Curialem allecti in l. 53. C. tit. de Epiſcopis & Clericis. Certè & qui ſic ex Jure Romano ſeu Municipiorum in Ordines allecti, *Seniores* dictos eſſe id eſt planè πρεσβυτέρους rectè adnotavit Chriſtophorus Juſtellus in Obſervationibus ad Codicem Canonum Eccleſiæ Africanæ, Can. 258. Sed & vide ibi Canon. 91. & 274. & ad hunc etiam Juſtellum. Conſonus eſt hiſce uſus vocabuli antiquus apud Virgilium, ubi Æneas lib. 7.

*——— delectos Ordine ab omni*
*Centum Oratores auguſta ad mœnia Regis*
*Ire jubet.———*

Ad quem locum Servius, *Ordine ab omni*, ait eſſe,

eſſe, *ex omni qualitate dignitatum, quod apud Romanos in legatione mittenda hodieque ſervatur.* Et tralatitius eſt nominis etiam nunc uſus ejuſmodi, dum Germaniæ, Galliæ, Angliæ, Belgii Ordines dicimus; uti & Monachorum aliorumque Cœnobitarum atque Equitum. Parili ex cauſa qui Sacris apud Paganos præerant in Ordines digeſti. *Ordo Haruſpicum ſexaginta* legitur in veteri marmore, aut nunc aut pridem Beneventi; *Ordo Haruſpicum.*

L. CASSENI SOSPITIANI
EX ORDINE. HARUSPIC. LX
VIX. ANN. XXX
PARENTES
FILIO. OPTIMO

Etiam Lucius Fonteius Flavianus *Magiſter publicus Haruſpicum Ordini Haruſpicum LX dat dedicat* in Saxo Romæ nuper eruto quod vide apud Jacobum Gutherium lib. 1. de veteri Jure Pontificio cap. 3. *Ordo* inſuper *Sacerdotum*, Paganis uſurpabatur, ut in hoc marmore *Ordo Sacerdotum.*

JUNIO POSTUMIANO V.C.
P.P. DEI SOLIS INVICTI
MITHRAE XV. VIRO S.F
PONTIFICI DEI SOLIS
ORDO SACERDOTUM MA
GISTRO SUO CURANTE ET
DEDICANTE FLAVIO HERCU
LEO VIRO RELIGIOSISSIMO.

Et in alio

ORDO SACERDOT. DEI
HERCULIS INVICTI.

Ordo Sacer, *apud Paganos.*

Hinc item *Ordo Sacer*, ſeu, Ἱερὰ Τάξις etiam in Gentilium lingua, ut videre eſt in marmore illo veteri Romæ reperto, atque ſub Antonino Pio ad hunc modum Græcè à Sacro Ordine Pæaniſtarum inſcripto, in honorem Embæ Prophetæ & dicti Ordinis ſacri Patris ſeu Antiſtitis.

HIERA

Η ΙΕΡΑ ΤΑΞΙϹ ΤωΝ ΠΑΙΑΝΙϹΤωΝ
ΤωΝ ΕΝ ΡωΜΗ ΔΙΟϹ ΗΛΙΟΥ
ΜΕΓΑΛΟΥ ϹΑΡΑΠΙΔΟϹ ΚΑΙ ΘΕωΝ
ϹΕΒΑϹΤωΝ ΕΤΕΙΜΗϹΑΝ ΕΜΒΗΝ
ΠΡΟΦΘΤΗΝ ΠΑΤΕΡΑ ΤΗϹ ΠΡΟ
ΓΕΓΡΑΜΜΕΝΗϹ ΤΑΞΕωϹ ΠΡΟ
ΤΟΜΗ ΜΑΡΜΑΡΙΝΗ Η ΑΝΑΤΕΘΕΙϹΑ
ΕΝ Τω ΟΙΚω ΤωΝ ΠΑΙΑ
ΝΙϹΤωΝ ΤΗ ΠΡΑ ΝωΝωΝ
ΜΑΙωΝ Η ΕϹΤΙΝ ΚΑΤΑ
ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΙϹ ΠΑΧωΝ ΙΑ
ΕΠΙ ΚΟΥΡΑΤΟΡΟϹ ΜΕΤΕΙΛΙΟΥ
ΑΜΠΛΙΑΤΟΥ ΠΡΕϹΒΥΤΕΡΟΥ
ϹΕΞΤω ΕΡΟΥΚΙω ΚΛΑΡω
Β. ΓΝΕω ΚΛΑΥΔΙω̃
ϹΕΒΗΡω ΚωϹ.

Id eſt, *Sacer Ordo Pæaniſtarum, qui ſcilicet Romæ ſunt, Iovis, Solis, Magni Serapidis ac Deorum Auguſtorum, honorarunt Emben Prophetam, Patrem ſuprà ſcripti Ordinis imagine marmoreâ, quæ poſita eſt in Ædibus Pæaniſtarum Pridie Nonarum Maii, quæ eſt ſecundùm Alexandrinos Pachon XI.* (malè ſubſtituitur heic in Corporis tam Lipsiani tum Gruteriani verſione, *Pachonia*; literis numeralibus IA voci *Pachon*, quæ menſem denotat Ægyptiacum, perinde ac ſi vocabuli pars eſſent, perperam adjectis) *ſub Curatore Metilio Ampliato Seniore, Sexto Erucio Claro & Cneio Claudio Severo Conſulibus.* Anno ſcilicet Chriſti vulgari 145. Verſio illa in Corpore jam dicto utroque ~~Gruteriano~~ Presbyterum appellat hunc Ampliatum,

Ampliatum. Et Ammianus Marcellinus; *Chriſtiani ritus Presbyter (ut ipſi appellant) miſſus à Fritigerno cum aliis humilibus venit ad Principis caſtra.* Sic ille lib. 31. Quaſi alia fuiſſet eodem nomine dignitas apud Paganos. De Inſcriptione autem illâ, vide ſi placet Joſephum Scaligerum de Emendatione Temporum lib. 5. cap. de primo Thoth Auguſtorum pag. 425. Jam verò perpende & Vocabuli & Notionis *Ordinis*, & *Ordinis Sacri* ſic oſtenſam originem, ſeu vim primariam, & demum conſideres Qualia ac quam varia de Charactere indelibili, Sacramento, Irregularitate, id genus aliis ſuperſtruxerit poſteritas. Intereà autem, an recipiendum nunc videtur quod habent quidam de Presbyterorum Ordinis à Sacerdotibus Aaronicis origine petenda? *Presbyterorum*, inquiunt, *Ordo exordium ſumſit à filiis Aaron. Qui enim Sacerdotes vocabantur in Veteri Teſtamento, hi ſunt qui nunc appellantur Presbyteri. Et qui nuncupabantur Principes Sacerdotum, nunc Epiſcopi nominantur.* Sic Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus lib. 2. de Eccleſiaſticis Officiis cap. 7, ſic Ivo Epiſcopus Carnotenſis in Decreti parte 6. cap. 11. alii. Atqui Presbyteris apud Ebræos veteres cum Sacerdotibus nihil omninò commune, niſi planè ex accidenti. Non cooptatione in Ordinem, ut Presbyteri, ſed Sanguinis ſeu Natalium purorum vi, fruebatur dignitate ſuâ apud illos quilibet Sacerdos. Nec Principes Sacerdotum, aut Sacerdotes illic ulli חזנם ſeu *Epiſcopi* in

*Presbyterorum Ordo an à Sacerdotibus Aaronicis petendus.*

Synagogis

Synagogis fuere, aut Archiſynagogi; niſi tantùm etiam ex accidenti. Non omninò jure ſibi, quà Sacerdotes fuere, ullatenus ſingulari. Quod ex Pandecte Talmudico palam eſt. Neque acceſſit ulla Manuum Impoſitio Sacerdotibus, apud Ebræos, creandis admittendiſve. Nati quidem fuere non facti Sacerdotes. Sed ita tantùm in munus Sacerdotale nati, ut niſi ad idem obeundum (quæſtione priùs tum de Natalium eorum puritate tum corporis vitiis Sacro Sermone enumeratis ſolicitiùs habitâ) eos admitteret Synedrium Magnum illud Septuagintauniusvirale, planè à Functione ſacra ac Altari arcerentur. Nempe Ii penes quos erat civilis rerum Adminiſtratio, hiſce de rebus ceteriſque in judicium deducendis tam ſacris quam civilibus, omninò definiebant decernebantq;. Quod verò jam diximus de Sacerdotibus ſive admittendis ſive arcendis, videre eſt in Titulo Talmudico *Middoth* cap. 5. & Magiſtris Talmudicis obiter. Etiam & olim fuſiùs adnotavimus idem nos in libro ſecundo de Succeſſione in Pontificatum Ebræorum cap. 10. Et Commentum frivolum peſſimè obtrudunt Ii qui de rebus hujuſmodi cognoviſſe volunt Forum, velut Eccleſiaſticum, neſcio quod ſingulare, ſeu ex Sacerdotibus tantùm ſeu ſacro hominum aliquo genere conflatum; quale certo certius eſt nullum apud Ebræos veteres, in Ordinariis ſaltem, ullo omnino tempore fuiſſe. Quod pluribus loco ſuo demonſtrare eſſet facilimum. Quemadmodum

*Quanam autoritate Sacerdotes, apud Ebræos, utcunque in dignitatem nati, ad functionem ſacram aut admiſſi, aut inde pulſi.*

modum autem Judæis ævi vetuſtioris ſui fuere, tam extra quam intra Judæam, Presbyteri (è cujus vocabuli apud eos uſu Presbyteri nomen in Chriſtianiſmum fluxit, ut ſuperiùs monitum eſt) ita & recentiores Præſidem ſuum ſupremum & generalem eo nomine ſubinde vocitavere. Cujus inſigne habetur exemplum in Jacobo Presbytero Communis olim Judæorum in Anglia. Scilicet jure utebantur Judæi Anglienſes hujuſmodi, ut diplomate regio aliquis ex Presbyteris ſuis præminentior eveheretur in dignitatem ac munus *Presbyteratus omnium Iudæorum totius Angliæ*, quod dum ſuperſtes eſſet, exerceret, ut habetur in Tabulis publicis Regis noſtri Joannis, ſcilicet parte 1. Chartarum anni ejuſdem 1. numero 171. *Sacerdotium* item *Communitatis Iudæorum Angliæ* ab Henrico tertio Eliæ, Epiſcopo dicto, conceditur, uti & ab Edwardo primo, Hagino filio *Deulares*. Quæ leguntur in *Pat.* 41. *Henrici* 3. *membrana* 4. *num.* 6. *&* *Pat.* 9. *Edwardi* 1. *membrana* 20. atque in Notis noſtris ad Marmora Ebraica cum Arundellianis conjuncta. An verò Presbyteratus heic eorum & Sacerdotium idem ipſum eſſet, mihi nondum ſatis liquet. Certè ſi ita fuerit, Presbyteri notionem in Chriſtianiſmo tunc receptam, id eſt aliam multò ab ea qua Majores eorum uſi fuerant, in eos qui Sacris ſuis præeſſent tranſlatam voluere.

*Presbyteratus ac Sacerdotium Communis Iudæorum olim in Anglia.*

II Eumque

31.

*Eumque benedicerent*, ] An Benedictionis, Precum, ſeu Numinis invocandi Formulam aliquam ſolennem, Certam ac conceptis, ex Canone ſeu uſu aliquo, verbis, (quales hodie in Ritualibus) aut incertam & pro benedicentis arbitrio, ſub Manuum Impoſitionem, proferendam intellexerit, non liquet. Certè in Epitome rerum à S. Petro geſtarum, Clementi tributa, formula habetur Zacchæi in præfecturam Eccleſiæ Cæſarienſis *Ordinandi*, velut primis in ſeculis Ordinationibus ejuſmodi ex præſcripto adhibenda. Sic ſe habet. Καὶ ταῦτα εἰπὼν, ἐπέθηκε τὰς χεῖρας τῷ Ζακχαίῳ, καὶ φησί· δέσποτα, κύριε, ὁ πατὴρ τοῦ κυρίου καὶ Θεοῦ καὶ Σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, διὰ τοῦ πνεύματός σου τοῦ ἁγίου καὶ προσκυνητοῦ, σὺ διαφύλαξον τοῦτον ποιμαίνειν τὸν λαόν σου ὃν ἐξελέξω. *Hæc cum dixiſſet* (Petrus ſcilicet) *Zacchæo Manus impoſuit cum his verbis*, aut *hac uſus formula; Domine, Domine, Pater Domini ac Dei ac Servatoris noſtri Ieſu Chriſti, Spiritus tui Sancti & venerandi operâ, cuſtodias hunc quem delegi, ut Paſtor ſit populo tuo.* Atque occurrunt in Ritualibus Sacris receptæ ad hanc rem formulæ,
uti & apud Dionyſium; quas & vide apud Sta- *De Bene-*
niſlaum Socolovium lib. de Conſecratione E- *dictionum*
piſcopi, atque Arcudium & Catumſuritum locis *ac Pre-*
paulò ante citatis. Sed de certis ejuſmodi ac *cum for-*
præſtitutis Formulis, in ſacris quibuſcunque ob- *mulis præ-*
eundis, controverſia graſſatur non levis. Utrum *ſtitutis*
ſcilicet ullatenùs admittendæ, aut neceſſariò ad- *certiſque.*

hibendæ omninò aliquæ. De his enim vel illis ſive uſurpandis ſive rejiciendis (qua de re non loquimur) Rationes habet pro perſuaſionis diſcrimine quiſque ſibi ſatis cogentes. Nec difficile eſt ea reperire quæ ad jam dictæ rei diſceptationem ſpectant in libris Chriſtianorum. Dum autem agitur de certis Formulis admittendis quæſtio, confugiunt ſubinde, ſaltem confugere videntur, Scriptores ad morem Eccleſiæ veteris Ebræorum. Illinc alii præſtitutarum & certarum Formularum exempla peti quidem volunt; ſed enixiùs quàm aut probant aut probare contendunt. Alii interim, iique in Theologicis famam præ ſe ferentes ingentem, nullas ejuſmodi precandi aut benedicendi ſtatas Formulas in eadem Eccleſia reperiri aut fuiſſe, ſed quæ extant cunctas recentiorum verparum eſſe commenta, tradere non verentur. Atque Sciolorum Ignorantia, ut in aliis, ſic in hiſce, eò tum ſecurior eſt tum ferocior, quò craſſior & ipſis inextricabilior. Intempeſtivum igitur nunc non habeatur, nec mihi vortatur vitio quaſi proniùs quam par eſt, ex occurrente ſic Benedicendi vocabulo, anſam arripuerim, ſi hac de re etiam heic paucis, velut fortè primus, indicavero quæ utrique altercantium parti uſui fuerint eximio; in quantum nempè inter ratiocinandum & exempla è vetuſtate afferendum, ullam tribuit pars alterutra Eccleſiæ veteris Judaicæ moribus autoritatem. Quod ad quotidianas Eccleſiæ illius Preces ſeu Benedictiones, quas תפילות &

ברכות

ברכות nuncupant, earumque Formulas certas atque ſolennes attinet; fuere illæ aut Sacerdotibus propriæ, aut cuilibet Judæo ita communes ut unicuique paritèr incubuerit eaſdem uſurpandi officium. Prioris generis fuere Benedictiones illæ tres præſtitutæ in Numerorum cap. 6, 23. nomine notiſſimo τῆς εὐλογίας Ἀαρὼν *Benedictionis Aaron* Syracidi cap. 36, 17. deſignatæ. *Loquere ad Aharon & filios ejus dicens, ſic benedicetis filiis Iſrael, dicetiſque ad eos.*

*Certæ in Eccleſia Ebræorum Veteri Benedictionum & Precum, & æque ſolennes formulæ.*

| | |
|---|---|
| א. יברכך יהוה וישמרך. | 1 *Benedicat tibi Dominus & cuſtodiat te.* |
| ב. יאר יהוה פניו אליך ויחנך. | 2 *Illuminet Dominus faciem ſuam ſuper te, & miſereatur tui.* |
| ג. ישא יהוה פניו אליך וישם לך שלום. | 3 *Levet Dominus faciem ſuam, ſuper te & ponat te in pace.* |

Hâc formulâ docent Theologi, qui iidem & Juriſconſulti, Ebræorum, benedicere uſos fuiſſe populo abiturienti Sacerdotes, ex Canone & præſcripto hoc Moſaico, idque quotidiè poſt Sacra quibus intererant, ſaltem matutina; atque manibus elatis, digitiſque expanſis. Ita nimirùm ut quoties in Synagogis aut Proſeuchis id fieret, extollerent manus uſque ad humeros, ac publicus Miniſter ſeu Apoſtolus (quem שליח צבור appellitant) legendo præiret, reſpondente ſingulis populo, Amen. Quando autem peractis ſacrificiis in Templo hoc factum

*Quotidiana Benedicendi formula à Sacerdotibus in Templo & Synagogis uſurpanda.*

 (quod

( quod nunquam non faciendum poſt Sacrificium juge matutinum ) inſtar benedictionis unicæ, præeunte itidem lectore, proferebantur tres illæ à Sacerdotibus, reſpondente populo, ברוך ה' אלהים ישראל מן העולם ועד העולם *Benedictus ſit Dominus Deus Iſrael in ſecula ſeculorum.* Tunc autem, ſcilicet in Templo, extulere Sacerdotes manus ſupra capita, excepto quod Pontifex maximus non ſupra Phylacteria ſua ſeu Frontalia eas efferret. Alia ad hanc rem obſervatu ſatis digna, ſed quibus locus hic non eſt idoneus, occurrunt in Miſna & Gemara, tit. *Sata* cap. 7. Talmude Babylonio fol. 37. & 38. in *Sepher Calbo* tit. *Thephila, Hilcoth Gedaloth* tit. *Beracoth*, Moſe Maimonide tractatu *Tephila Webarceth Cohenim* ſeu *de Precatione & Sacerdotum Benedictionibus*, cap. 14. Moſe Mikotzi Præcept. affirmativo 20. & Obadia Bartenorio, ad dictam Miſnam, præter loca alia Talmudica in Annotationibus ad dictum Maimonidis caput indicata. Quod ad genus attinet poſterius, ſeu præſtitutas Precum Formulas cuilibet paritèr ( pro viribus ſemper intellige ) adhibendas; Eæ aut neceſſariò Quotidianæ fuere, aut pro re nata tantùm variatim uſurpandæ. Speciem utramque paucis oſtendemus. Quemadmodum juxta veterrimam apud eos interpretationem, diligentèr cuique præſtanda erat Lectio ſeu Invocatio ſolemnis, eaque tam veſperi quam mane, periocharum aliquot in Deuteronomii capitibus 6. & 7. ( quam קרית שמע *lectio audi,*

*di,*

*di*, ex verbis illis repetitis *Audi Iſrael* vocitant) ad totam vitæ piæ rationem attinentium, ut liquet in Miſna tit. *Beracoth* cap. 1. & utriuſque Talmudis Gemaris ibidem, & paſſim tum in Magiſtrorum commentariis tum in gentis Ritualibus, ita etiam tum Ezræ temporibus tum ſeculis captivitatis Babylonicæ finem inſequentibus, præſcriptis certiſq; Precandi Formulis quotidianis ex inſtituto uſa eſt Eccleſia illa. Quod ut ritè intelligatur, videndum eſt, Primò de Precandi Ritibus ſeu Jure ante Ezræ tempora ſeu à Moſe ad Ezram; Secundò Quinam certas aliquas Precandi Formulas in Eccleſia illa, ante Chriſtum, ſeu dum viguit ex inſtituto divino Judaiſmus, inſtituerent; Tertiò Quotnam ac Quales illæ fuerint; Quartò, Quomodo, ex gentis moribus, adhibendæ. Quod ad Primum attinet; docent Magiſtri, in præceptis quidem divinis contineri, Preces ab ipſorum quolibet Numini fundendas eſſe, ſed nec Formulam, nec Numerum, nec Tempora in præceptis illis deſignari. Aiunt Leges illas ſacras Exodi 23. 25. & Deuteronomii 11. 3. *Servietis Domino Deo veſtro*, & *ut ſervietis illi toto corde veſtro & tota anima veſtra*, precandi officium imperare. Sic enim loquuntur; איזו היא עבודה שבלב זו תפלה ואין מנין התפלה מן התורה ואין חיוב התפלה הזאת מן התורה ואין לתפלה זמן קבוע מן התורה דלפיכך נשים ועבדים חייבין בתפלה לפי שהיא מצות עשה שלא הזמן גרמה אלא חיוב מצוה זו כך הוא שיהא אדם מתחנן ומתפלל בכל יום ומגיד

*Precandi Ritus, apud Ebræos, ante Ezræ tempora, ſeu à Moſe uſq; ad eum.*

ומגיד שבחו של הקב"ה ואחר כך שואל צרכיו שהוא צריך להם בבקשה ובתחנה ואחר כך נותן שבח והודיה לה' על הטובה שהשפיע לו כל אחד לפי כחו *Quinam eſt cultus ille qui in corde? Is Precatio eſt. Sed verò neque Numerus precum ex lege eſt, neque hæc vel illa precandi Formula eſt ex lege, nec à lege præſtitutum eſt precandi tempus. Vnde fit ut etiam fœminæ & ſervi lege precandi teneantur; cum ſcilicet præceptum ſit affirmativum, tempore non circumſcriptum. Ceterum officium ex hac lege præſtandum hujuſmodi erat, ut quotidie unuſquiſque ſupplicaret & precaretur, & enarraret primò gloriam Domini Dei benedicti, & poſtmodum rogaret obſecrando & deprecando ea quæ ſibi neceſſaria eſſent. & dein gloriam ac laudem daret Domino ob bonitatem ſuam qua erga eum uſus eſt. Quilibet nempe pro viribus ſuis.* Atque precationes aiunt eſſe in Cultu divino על צד הכונה הראשונה *primæ* ſeu *primariæ intentionis*. Oblationes autem & quæ ſunt id genus alia imperata על צד הכונה השנית *Intentionis ſecundariæ*; quod pluribus explicat egregiè Rambam in *More Nebuchim* part. 3. cap. 32. Stabant item, non genu flectebant, precantes. Ubicunque autem locorum quis eſſet, precabatur verſus Templum, ſeu illam mundi plagam quâ Templum ei ſitum. Magiſtri; והכל מתפללין נכח המקדש בכל מקום שיהיה וכן היה הדבר תמיד ממשה רבינו ועד עזרא *Et cuilibet precanti facies vertenda erat verſus Templum, ubicunque eſſet locorum. Atque ſic obtinuit*

*nuit à Moſe Magiſtro noſtro uſque ad Ezram.* Quæ poſtrema vocabula etiam pertinent ad reliqua jam de precibus dicta. Quatenùs ſcilicet Sanctuarium, ante Salomonis tempora, & Templum poſtea velut in idem recidunt. Hieroſolymis autem qui precabatur, faciem vertebat in Montem Templi; qui in Monte Templi, verſus Sanctum Sanctorum. Cum igitur nulla eſſet hactenùs præſtituta ſupplicandi formula quotidiana, ſuâ pro arbitrio uſus eſt quilibet, & interdum quotidie novâ. Nam & de Achitophele, ex veterum traditione, aiunt, היה מתפלל שלש תפילות חדשות בכל יום *Die unoquoque tribus novis precandi formulis,* ſeu *precationibus uſus eſt.* Sic legitur in Gemara Hieroſolymitana ad tit. *Beracoth,* cap. 4. fol. 8, col. 1. Et de jam dictis conſulas, præter Commentarios Rabbinicos ad loca Scripturæ citatos, Moſem Maimonidem in Tractatu *Tephila Webarceth Cohenim* cap. 1. & Moſem Mikotzi Præcept. Affirmativo 19. & Gemaram jam dictam fol. 7. col. 1. Certæ autem precandi formulæ ac cuilibet quotidie, ex ſuperinducta lege ſeu more recepto, uſurpandæ (quæ Secundò heic diſpiciendæ) inſtitutæ ſunt ab Ezra ac בית דינו, id eſt, *Conſiſtorio* ſeu *Synedrio ejus,* ſeu eis qui ad inſtaurandam conſervandamque avitam rempublicam operas viri præcellentiores mutuas ſub captivitatis Babylonicæ finem tradiderant. Tunc enim Judæi non pauci, veriſimile ſatis erit ſi dixeris ex vulgo plerique, tum peculiares avorum Mores, tum ſanctam

*Formulæ Precum certæ, ac quotidianæ ab Ezra aliiſque Synagogæ Magnæ Viris præſtitutæ.*

linguam ex gentium aliarum mixtura ita variatim habuere depravatam, ut ſine Præceptore Preces Numini ſuo ſanctiſſimo offerre aut ritè ſatis nequirent aut dubitantèr nimis adgrederentur. Ne igitur in poſterum tam in re ipſa quam in ſermone balbutientes à pietate vera, ſeu divinitùs imperata, temerè deviarent, huic adhibere volebant remedium malo אנשי כנסת הגדולה *Viri Magnæ Synagogæ* illi celeberrimi, ſeu Ezra & Conſiſtorii ſui Collegæ numero centum viginti deſignari ſoliti. Adeoque certam precandi Formulam inſtituêre unicuique recipiendam, eamque tum quotidianam, tum iterandam, tertiandamque, ut dicetur. Rabbi Jeremias in Gemara Hieroſolymitana ad tit. *Beracoth* cap. 2. fol. 4. col. 4. מאה ועשרים זקנים ומהם שמונים וכמה נביאים התקינו את התפילה הזאת *Centum & viginti Presbyteri, è quibus octoginta Prophetæ fuere aut inſtar Prophetarum* (nam legendum puto, ut alibi, שמנים נביאים וכמה וגו׳) *hanc precandi Formulam inſtituerunt*. Scilicet de precandi Formula proximè ante ibi memorata, de qua ſtatim plura dabimus, verba facit. Tantundem habetur in Gemara Babylonia ad tit. *Megilla* cap. 2. fol. 18.[a] & vide Gemaram Babyloniam ad tit. *Beracoth* cap. 5. fol. 33.[a] In Collegis autem Conſiſtorii illius, ſeu Synagogæ Magnæ numerantur ab Ebræis Haggæus, Zacharias, & Malachias Prophetæ, Zorobabel, Mordecai, alii viri illuſtres, de quibus vide ſi placet Nehemiam cap. 7. 7. & quæ collegit

Joannes

*Quales & Quotnam Formulas Precũ Ezra & Viri Magnæ Synagogæ reliqui inſtituerint.*

Joannes Buxtorfius in Tiberiadis ſeu Commentarii Maſorethici cap. 10. Quod ad Tertiam heic attinet conſiderationem; Tradunt Preces ſeu Benedictiones (nam utroque nomine heic promiſcuè utuntur) in Formula ſuperiùs laudata fuiſſe Octodecim. Unde ſæpius occurrit שמונה עשרה ברכות *Octodecim Benedictiones*; ipſo etiam numero ſimplici ſubinde, velut nemini non notiſſimo, in Commentariis Talmudicis pro eiſdem uſurpato. Simul item dicuntur, תפילות על הסדר (ut in jam antè citata Gemara utraque) & ברכות על הסדר id eſt, *Preces* ſeu *Benedictiones Ordinatæ*, ſeu *Ordine compoſitæ*. Ex octodecim jam dictis, tres aiunt priores continere שבח לה׳ *Gloriam Domini*, uti & totidem poſteriores. Intermedias verò שאלת כל הדברים שהן כמו אבות לכל חפצי איש ואיש ולצרכי הצבור כולן *Petitionem omnium rerum quæ genera primaria ſunt tum eorum quæ hominibus ſingulis habenda in votis, tum eorum quæ populo univerſo ut neceſſaria deſideranda.* Sic Maimonides. Et in Gemara Hieroſolymitana ad tit. *Beracoth* cap. 2. fol. 4. col. 4. traditur autores Formulæ jam memoratæ ſic ordinem inſtituiſſe ut שלש ברכות ראשונות ושלש ברכות אחרונות שבחו של מקום והאמצעיות צרכן של בריות *Tres priores Benedictiones totidemque poſteriores Gloriam Domini ſpectarent, intermediæ autem generi humano neceſſaria.* Ratio inſuper ex veteribus adjicitur apud Maimonidem, כדי שיהו ערוכות בפי הכל וילמדו אותן ותהיה תפלת אלו העלגים תפילה שלימה

שלימה כתפלת בעל הלשון הצחות ומפני ענין זה תקנו כל הברכות והתפלות הסדורות בפי כל ישראל כדי שיהא ענין כל ברכה ערוך בפי העלג *ut ſcilicet in cujuſlibet ore benè diſponerentur, omneſque eas diſcerent, & preces etiam indiſertorum non minus perfectæ forent quam preces viri utcunque linguæ diſertæ. Atque hâc causâ inſtituerunt ut cunctæ Benedictiones hæ & Preces Ordine ac Formulâ diſponerentur in ore cujuſlibet Iſraelitæ, quoniam inde eveniret ut etiam in balbutientis ore etiam indiſerto paritèr diſponerentur.* Ipſiſſimam ſanè, qua de loquuntur, Formulam integram fateor me hactenus non ſatis didiciſſe, ſed inſtitutam fuiſſe, ſecundùm id quod diximus, uno pronuntiant ore. Occurrit quidem harum Formula in Gemara Hieroſolymitana; ſed Librarii puto incuriâ ita minuta ut numerum indicatum ſeu octodenarium in ea reperiri nequeas. Utcunque verò, qualis ibi habetur exſcribimus, beneficia divinitùs accepta tam agnoſcentem quam nova deſiderantem.

חנינו דיעה. חננתנו דיעה. רצה תשובתינו. רצית תשובתינו. סלח לנו. סלחת לנו. גאלינו. גאלתנו. רפא חליינו. ריפת חליינו. ברך שנותינו. בירכת שנותינו. קבצינו. קבצתנו. שופטינו בצדק. שפטתנו בצדק. הכנע קמינו. הכנעת קמינו. צדקינו במשפט. צידקתנו. בנה ביתך ושמע תפילתנו ורצינו בתוכה.

Id eſt,

*Largire nobis Scientiam. Largitus es tu*

*tu Scientiam nobis. Grata tibi ſit Pœnitentia noſtra. Grata fuit Pœnitentia noſtra tibi. Propitius ſis nobis. Fuiſti nobis tu Propitius. Redime nos. Redimiſti tu nos. Sana Infirmitates noſtras. Infirmitates noſtras ſanâſti tu. Benedic Annis noſtris. Benedixiſti tu Annis noſtris. Congrega nos. Congregaſti tu nos. Judica nos cum Juſtitia. Judicaſti nos tu cum Juſtitia. Humiliato Hoſtes noſtros. Humiliâſti tu Hoſtes noſtros. Juſtifica nos in Iudicio. Iuſtificâſti nos. Ædifica Templum tuum, & audi Supplicationes noſtras, & Gratioſus ſis nobis in eo.*

Quod agnitione ſic repetitur, unicam eſſe ſemper exiſtimo Benedictionum illarum octodecim. Sed videſis Maimonidem Tract. *Thephila Wecharceth* Cohenim cap. 2. §. 3. ubi alia ſunt formulæ quam tractamus capita. Receptiſſimum autem eſt in doctrina Talmudica, ſolemnia Benedictionum & Precum initia ſeu Numinis com-

pellationem Ebræis fuiſſe, ut hodieque eſt, ברוך אתה יהוה אלהינו מלך העולם *Benedictus ſis Domine Deus noſter, Rex mundi.* Quod fortè heic תן *largire nobis*, &c. ex ipſa etiam inſtitutione tunc præfigendum. Unumquemque verò precandi actum juxta ea quæ ſtatim dicentur, præſtandum auſpicari ſolebant à verſiculo illo Pſalmi 51. 15. ה׳ שפתי תפתח ופי יגיד תהילתך *Domine aperi labia mea, & os meum oſtendet ſeu annuntiabit laudem tuam.* Claudebant dein verſiculo illo Pſalmi 19. ult. *Sint accepta verba oris mei & meditatio cordis mei in conſpectu tuo, Domine fortitudo mea & Redemptor meus.* Vide Gemaram Hieroſolymitanam ad tit. *Beracoth* cap. 4. fol. 8. col. 1. & Maimonidem Tract. *Thephila Webarceth* cap. 2. §. 9. Ex moribus auten gentis, ita à quolibet, poſt Synagogæ illius magnæ hac de re decretum, adhibenda erat formula illa (quod Quartò heic videndum) ut regularitèr ſæpiùs quotidie, ſed diverſimodè, eſſet effundenda, horis ſcilicet ſtatis, velut Canonicis. Nimirùm ſtatuerunt ut non ſolum temporibus tum Sacrificii jugis matutini, tum ejus quod Pomeridianum erat, uteretur quilibet hac quotidie precandi formula; verum etiam ut nocte tertiaret, & quoties קרבן מוסף ſeu *oblatio adjectitia* ſeu quæ morem communem ex lege excederet, præſtanda eſſet, eam interdiu inſuper repeteret. Denominatis etiam à Sacrificiorum nomine ipſis, pro temporum varietate, ſed ſemper eiſdem precibus. Ut Matutinis, Pomeridianis,

*Stata precandi tempora etiam decernebant Ezra & viri Synagogæ magnæ.*

anis, Veſpertinis, ſeu Nocturnis, Adjectitiis. Quibus acceſſit in Jejunio feſti Expiationum magno, precum jam dictarum repititio ſub occaſum ſolis, תפלת נעילה *Precatio Obſerationis* vocitata; quaſi adhibendam eam, cum portæ cœli clauderentur, id eſt ſol abiret, indicaret nomen. Precationes igitur ex Ezræ ac conſiſtorii ſui inſtituto illo quotidianæ fuere Tres, Matutinæ, Pomeridianæ, & Veſpertinæ ſeu Nocturnæ. Sabbatis autem, Feſtis imperatis, ac Neomeniis, Quatuor. Nam in illis ex lege, adjectitia erant Sacrificia, adeoque Adjectitia Precatio. Memorato demum jejunio Quinque. Acceſſit enim illa Precatio Obſerationis dicta. Atque Preces hæ etiam in Eccleſia illa Judæorum veteri habitæ תפלות חובה *Preces officii neceſſariò præſtandi*. Et de eo qui cunctas juxta majorum inſtitutum adhibuiſſet יצא aiunt ידי חובתו *præſtitit officium ſuum* ſeu debitum; uti de eo qui aliquam omiſiſſet, לא יצא *non præſtitit*. Addunt verò de precibus à Publico in Synagogis miniſtro recitatis שליח ציבור מוציא את הרבים ידי חובתן כיצד בשעה שהוא מתפלל והן שומעין ועונין אמן אחר כל ברכה וברכה הרי הן כמתפללין בד"א בשאינו יודע להתפלל אבל היודע אינו יוצא ידי חובתו אלא בתפלת עצמו *Publicus miniſter* ſeu *Univerſitatis* aut *populi Apoſtolus* (ut apud nos parochus) *liberat plebem ab officio ſuo heic præſtando, ſi dum precatur ille, audiat illa & reſpondeat ſingulis Benedictionibus* Amen. *Inde enim fit, ut pro precantibus habeatur plebs.*

*Quod*

*Quod tamen ad eum ſolùm attinet, qui precandi ſatis gnarus non eſt. Nam ſi gnarus fuerit, officium quod ſibi incumbit non præſtat, niſi & ipſe precetur.* Sic Maimonides tractatu *Thephila Webarceth* cap. 8. §. 9. quocum conjungas Gemaram Babyloniam ad tit. *Roſh haſhena* cap. 4. fol. 34. & 35. Exceptiones autem aliquot de jam regularitèr dictis habent, quas adferre huc operæ non eſt pretium. Quod itidem dicendum de eo quod pronuntiant תפלות אלו אין פוחתין מהן *Precum harum*, ſeu *Precationum nullam omittere quis debet*. Alias autem ſive Formulas ſive vices adjicere neſas non erat. Et Rabbi Eliæzer היה מתפלל תפלה חדשה בכל יום *novâ precandi Formulâ* (id eſt aliâ atque aliâ præter Formulam octodenariam) *quotidie* uſus eſt, quod legitur in Gemara Hieroſolymitana jam ante citata; quod habetur item de Rabbi Abihu. Quoties autem novæ accederent, inſtar ſacrificiorum ſeu oblationũ ultronearum habebantur; quemadmodum reliquæ, ut dictum eſt, inſtar imperatarum. His item nominibus dictæ. Quæ tamen ſic volunt intelligi, ut neque tres numeri octodenarii priores nec poſteriores Preces, ullo modo, ne adjiciendo quidem, mutare liceret; intermedias verò pro arbitrio & juxta animi vota ſingularia ampliare aut augere, nec interim omninò ipſas, utpotè integrè ſemper retinendas, alitèr, (exceptione interìm minutulâ unâ & alterâ admiſſâ) immutare. Privatis nimirùm ſeu ſingulis ampliare aut augere liceret. Quoniam ipſis ul-

tronea

tronea offerre licuit Sacrificia, quibus reſpondere volebant Preces ſeu Precationes illas ultroneas ſeu adjectitias. Nec tamen hoc licuiſſe aiunt nonnulli Cœtui publico ſeu Eccleſiæ, quam צבור appellitant, quia Sacrificia aiunt ab Eccleſia, imperata tantùm, non ultronea fuiſſe offerenda. Maimonides; אין הצבור מתפללין תפלת נדבה לפי שאין הצבור מביאין קרבן נדבה: *Ab Eccleſia* ſeu *Cœtu publico Precatio ultronea uſurpanda non erat; quoniam nec Eccleſia* ſeu *Cœtus publicus offerebat ex Lege Sacrificium ultroneum.* Addit item ex Doctorum illuſtrium aliquot ſententia, nec Sabbatis nec diebus Feſtis cuiquam fas fuiſſe Precatione Ultronea, ſed tantùm Imperatâ uti. Ratio redditur, לפי שאין מקריבין בהן נדבה אלא חובה היום בלבד *quoniam in eis offerendum non erat ultroneum quid, ſed id duntaxat quod ex Lege ad eorum ſingula attinuit.* Sed hac de re vide quæ ex Abraha Ben David habentur in *Migdol Oz* & in *Ceſeph Miſna* ad Maimonidis Tractatum, *Thephila Webarceth Cohenim* cap. 1. §. 12. Octodecim jam dictis acceſſit, ſub Excidii ævum, Nonadecima à Rabban Gamaliele, & Synedrio Magno, cui præfuit is, ut Princeps, inſtituta Precandi Formula. Aliæ item quamplurimæ Benedictionum & Precationum Formulæ etiam quotidianæ, ex eorum qui rebus præerant inſtituto, tandem inolevere; adeò ut ſi Septem quæ continentur in Lectione illa *Audi Iſrael* (qua de, ante) & tum jam dictas tum alias, exemplo majorum, tandem ſuper-

*Seculis Ezram ſequentibus crevit Formularum Precum Sacrarum numerus.*

inductas enumeres חיוב אדם לברך מאה ברכות בין היום והלילה: *Centum Benedictiones* ſeu *Precationes præſtandæ fuerint ab unoquoque intra tempus civilis cujuſlibet diei.* Vide Maimonidem, Tractatu toties citato, cap. 7. §. 14. Nimirùm actibus ex lege quotidianis acceſſere inſervientes Benedictiones, cujus rei ratio oſtenditur in eis quæ de ſpecie heic ſecunda proximè ſubjunguntur. Et de Quotidianis Benedicendi ſeu Precandi Formulis neceſſariò apud Ebræos veteres, juxta eorum doctrinam, adhibendis, hactenus. Species Altera eſt, pro Re Nata ac variatìm uſurpandarum, Nec Quotidianarum, niſi ex accidenti, aut pro arbitrio aliud agentis. Lex habetur ſacra, Deuteron. 8, 10. *Cum verò comederis & ſatiatus fueris, Benedices Domino Deo tuo in terra illa bona quam dedit tibi.* Hinc aiunt, ex Lege ſacra eſſe ברכת המזון *Benedictionem cibi* aut *menſæ*; quam intereà ſic intelligunt, ut poſt cibum ſumtum ſeu à ſaturis tantùm, ex Legis verbis quibus pertinaciùs ut plurimùm ſunt addictiſſimi, Benedicendum eſſet. Sed verò מדברי סופרים ex *Verbis* ſeu *Inſtitutis Scribarum*, ſeu moribus ab eis qui rebus præerant Superinductis, non ſolùm Benedictionem ſeu Preces Euchariſticas adhibebant olim, uti hodieque cibo ſaturi, ſed etiam tam ante quam poſt ſive cibum ſive potum aliquantulum ſumtum. Quin & eo uſque res demùm proceſſit, ut velut ex peculiaris Benedictionis Menſæ origine exemplo inducerentur ſimilitèr quampluri-

*Benedictionum non niſi, ex accidenti, quotidianarũ Formulæ apud Ebræos certæ & vetuſtiſſimæ.*

mæ

mæ aliæ Actibus, ex Lege ſacra, præſtandis inſervientes ſeu præeuntes. Aiunt ſcilicet, כשם שמברכין על ההנייה כך מברכין על כל מצוה ומצוה ואחר כך יעשה אותה. *ſicut Benedicere debuit quiſque quoties dapes aut potum ſumeret, ita Benedicere debuit cuique ſigillatim Præcepto* (affirmativo) *& poſteà id, quod præceptum eſt, facere.* Et ab intima Vetuſtate petunt Benedictionum, ex more Majorum uſitandarum, Species tres. Prima eſt, qualem diximus Menſæ, ſeu ברכת הניה *Benedictio rerum quibus utimur, fruimur.* Secunda ברכת מצוה *Benedictio Præcepti*, de qua jam locuti ſumus. Tertia ברכת הודיה *Benedictio Laudationis* ſeu *Glorificationis Dei*, etiamſi neutra priorum cauſa ſingularis adſit. Quacum conjungunt eam quæ eſt בקשה ſeu *Petitionis.* Certas aiunt fuiſſe harum Formulas, eaſque ab Ezra in corpus redactas aut deſcriptas, ex autoritate Conſiſtorii ejus ſeu Synagogæ Magnæ (qua de ante) ordine diſpoſitas eſſe ac ſic confirmatas, ut nec cuiquam earum aliquam mutare, ſive adjiciendo ſive minuendo, liceret. Maimonides, ונוסח כל הברכות עזרא ובית דינו תקנום ואין ראוי לשנותם ולא להוסיף על אחת מהם ולא לגרוע ממנה וכל המשנה ממטבע שטבעו חכמים בברכות אינו אלא טועה *Deſcripſit cunctas Benedictiones Ezra, quas & Conſiſtorium ejus ordinarunt obſervandas. Neque licet eas immutare, aut cuipiam earum adjiciendo aut quampiam minuendo. Et quælibet immutatio ejus quod ſic conſignarunt Sapientes in*

*Benedictionibus planè error eſt.* Nec carere debuit Benedictio aliqua הזכרת השם ומלכות *Memoria Nominis Domini & Regni*; ſeu Præfatione illa ſolenni בא"י אמ"ה *Benedictus ſis tu Domine Deus Rex Mundi*. Quemadmodum & Mahumedanorum Precibus ſolennibus (quarum itidem præſtitutas habent illi Formulas, ut mox dicetur) Dei Unitatis & Mahumedis ut ejuſdem Legati ſeu Apoſtoli mentio plerunque ſolet inſeri. De jam dictis & innumeris aliis ad Formulas certas, jura, & ritus Benedictionum ac Precum in Eccleſia veteri Judæorum attinentibus, conſule Titulum *Beracoth* in utroque Talmude, eundemque in Maimonide, Alpheſio, aliis, præter Moſem Mikotzi Præcepto affirmativo 27. Hiſce adjungi poſſent Formulæ aliquot Sacræ in Pentateucho repertæ illuſtriores; ut Carmen illud horrendum in Uxoris adulterii ſuſpectæ examine (Numer. 5, 5.) Oratio item ſolennis ad exercitum procinctum perpetuò uſurpanda (Deuteron. 20. 3, &c.) item Confeſſio de Decimis anni tertii verbis præſtitutis edicenda (Deuteron. 26. 19.) quarum apices obſervandos voluere ſemper Juriſconſulti ac Theologi Eccleſiæ illius. Adde etiam uſitatum ex vetuſtiſſimo more Carmen Syriacum in Azymis Paſchalibus, הא לחמא דעניא די אכלו אבהתנא בארעא דמצרים וגו' *Hic eſt panis ille ærumnoſus quem comederunt Patres noſtri in terra Ægypti*, &c. De quo videſis *Sepher Colbo* fol. 55. col. 2. & Joſephum Scaligerum lib. 6. de Emendat. Tempo-

rum,

Ex dono Henry Adderuda
P. 1727


rum, pag. 536. Quæ verò Judæi recentiores habent, paſſim proſtant in Ritualibus illis מנהגים *Officiis, Ritualibus*, ſeu *Vſibus Solennibus* dictis, (Judæorum in Hiſpania, Luſitania, Polonia, Germania, alibi degentium) & in libro *Maharil* & מחזור ſeu *Precum* & *Hymnorum Cyclo*. In his quidem vetuſta ſunt non pauca. Etiam & Titulus in illorum pleriſque מאה ברכות *Centum Benedictionum* habetur. Sed quoniam non ſine interſperſis multimodis recentiorum inventis; ideo meritò non ita per ſe, ab eis qui vetuſtatis arcana heic cordatè venantur, pendi ſolent. Et videſis quæ ſubjunguntur ex eorum Ritualibus Genebrardi Chronico. Quæ verò in Pandectis occurrunt Talmudicis aut ex eis à Magiſtris celeberrimis docentur, majoris multò, in diſquiſitione hujuſmodi, ſunt momenti. Verum eſt, fateor, etiam & Talmudicum corpus utrunque diù poſt Chriſtum, etiam diù poſt Excidium Urbis, congeſtum. Sed ita congeſtum, ab eis qui morum Majorum & tenaciſſimi fuere & ſcientiſſimi, etiam & intra tam pauca a Chriſti natalibus ſecula congeſtum, ut qui dubitet an eis, quæ de moribus ejuſmodi ibi tradantur, fides fuerit habenda hiſtorica, næ ægrè, puto, credet is Obſervationibus, verbi gratiâ, Aſtronomicis, Ariſtyllo, Hipparcho, Timochari, Menelao, aliis a Ptolemæo in Magna Conſtructione tributis, aut ejuſdem, ex Doctrina Apoteleſmatica Chaldæorum atque Ægyptiorum ſeipſo multò vetuſtiore, deſumtas traditiones in Tetrabiblo non fictas eſſe;

*De Recentiorum Iudæorum Ritualibus.*

*Traditionibus hiſce de rebus Talmudicis fides an habenda.*

eſſe; quoniam nempè tot annis, etiam ſeculis, recentior Ptolomæus, atque Autorum ipſorum Commentarii periere. Eodem paritèr Jure quidem aut negabit aut dubitabit is de teſtimoniis è Varrone, Ennio, Valerio Antiate id genus aliis à Livio, Plutarcho, ceteris inferioris ævi, allatis. Etiam & de naſcentis Eccleſiæ rebus ab Euſebio, tot à Chriſto annis, ſed veterum intereà Autorum libris, qui jam nullibi extant, inſtructo, conſcriptis. Quod & æquè dicendum de Papiniani, Ulpiani, Calliſtrati, Modeſtini, Scævolæ, Juriſperitorum aliorum reliquiis in Pandectis Juſtiniani, qui ſeculis aliquot illis recentior, tantùm ſervatis. Et appoſitè, de re huic neutiquam diſſimili, (id eſt de Ritibus & Carmine Sacro in Azymis comedendis) vir ſummus Joſephus Scaliger, libro ante citato, pag. 537. *Hic fuit*, inquit, *vetus Ritus celebrationis Paſcha temporibus Meſſiæ* (Ritum illum fuſiùs ante è doctrina Talmudica tradiderat) *quod vetuſtiſſimi Canones in Digeſtis Talmudicis manifeſtò probant. Niſi quis eos neget antiquos eſſe; quod idem ac ſi quis capita Papiniani, Pauli, Vlpiani & aliorum Iuriſconſultorum in Digeſtis Iuſtiniani producta, neget eſſe eorum Iuriſconſultorum, quorum nomine citantur. Quod nemo ſanus dixerit.* Sed verò, utrum ex memoratarum Benedicendi ac Precandi Formularum certarum generis alicujus, apud veteres Ebræos in uſu, imitatione ullas ſibi Chriſtiani veteres, adeoque Alexandrini Presbyteri heic qualemcunque ſuam, adhibuerint,

rint, definire meum non eſt. Certè Exemplo fortè iſtius Eccleſiæ, ſuas uſurpabant Formulas, in Sacris obeundis, certas Pagani; quarum ſpecimen egregium in Catone de Re Ruſtica cap. 141. ubi de Solitaurilibus agit. Alia apud Macrobium & in priſcis Marmoribus. Et vide, ſi placet, Barnabæ Briſſonii Formularum lib. 1. Gulielmum Stuckium in Sacrorum Sacrificiorumque Gentilium Deſcriptione, Jacobum Gutherium de Veteri Jure Pontificio lib. 4. cap. 14. alios, qui obiter de Ritibus Paganorum. Majorum autem ſive providentiâ ſive injuriâ periere Veteres illi, Atteius Capito de Jure Sacrificiorum, Trebatii libri novem Religionum, Neratii de Supplicationibus liber, Varronis rerum Divinarum libri quatuor, alii ejuſmodi unde hæc pleniùs multò ediſci potuiſſent. Mahumedanis item ſunt ſuæ Formulæ Precandi certæ, Sacris eorum fundatæ inſtitutionibus; quales tradit Aben Sina (is qui vulgo eſt Avicenna, Philoſophus & Medicus celebris) in parte 3. من الالهيات *Theologiæ* ſeu *Metaphyſices*. De divino, qui Precibus fit, cultu verba faciens

*Paganis certæ precandi ac benedicendi Formulæ, uti & Mahumedanis.*

Avicenna *de Precandi Formulis.*

يكون لشرف هذه inquit ويجب ان
العبادات من وجه هو ما يفرض متوالية
انه مخاطب الله ومناج اياه وصاير اليه
وماثل بين يديه وهذا هو الصلاة ويجب
ان

ان يسن المصلي من الاحوال التي يستعد
بها للصلاة وما جرت العادة بمو اخذة
الانسان نفسه به عند لقا الملك الانساني
من الطهارة والتنظيف وان يبين في
الطهارة والتنظيف سننا بالغة وان يسن
عليه فيها ما جرت العادة بمو اخذته نفسه
به عند لقاية الملوك من الخشوع والسكون
وغض البصر وقبض الاطراف فترك
الالتفات والاضطراب وكذلك يسن له
في كل وقت من اوقات العبادة انابة
ورسوما محدودة فهذه الاحوال تنتفع
بها العامة في رسوخ ذكر الله تعالي
في انفسهم فيدوم لهم التشبث بالسنن
والشرايع بسبب ذلك وان لم تكن
مثل هذه المذكرات تناسوا جميع
ذلك مع انقراض قرن او قرنين

Quæ ſanè non ita malè vertuntur in Metaphy-

ſicæ

ſecæ Avicennæ Tractatu 10. cap. 3. Nam non pauca Metaphyſices ejuſdem (neque enim omnia) in còdicibus Latinis reperta, habentur ipſa in Arabicis ejuſdem ad calcem Canonis ejus de Medicina Romæ excuſi. Sic autem verſio illa; *Et oportet dici* (ſcilicet, palàm eſt) *quod ex his omnibus obſequiis, id eſt acceptabilius per quod Agens paratur* (ita inſtituitur) *quaſi ſit loquens in Deo* (cum Deo) *& tendens in ipſum, & ad ipſum factus quaſi præſens ei. Et hæc eſt Oratio. Vnde oportet ut Doctor doceat Oratorem diſpoſitiones* (Modos ſeu Formulas Liturgicas) *quibus præparatur ad Orandum. Quemadmodum conſuevit homo præparare ſe ad occurrendum Regi humano in munditia & decore, & ut faciat aſſueſcere munditiæ & decori firma conſuetudine* (verte potiùs, *& ut nitorem & decorem linguæ aſſequatur*) *& inſtituat eum ad modum hominis præparantis ſe in occurſum Regum, cum humilitate, demiſſo vultu, compreſſis membris, ceſſans à revolutione & omni perturbatione. Similiter debet inſtituere Doctrinas & Diſpoſitiones* (Modos ſeu Formulas) *laudabiles ſerviendi Deo in unoquoque tempore. Hæ enim Diſpoſitiones proſunt vulgo ad imprimendum memoriam Dei in animalibus eorum* (lege *Dei excelſi in animabus eorum* ſeu *in ipſis*) *& ut devotio eorum circa leges & mores ſit firmior eis propter hoc. Si enim non eſſent eis hujuſmodi commemoratio, oblivi ſcerentur eorum omnium poſt diſceſſum unius generationis vel duarum.* Arabica ſunt in Edi-

tionis Opuſculorum Avicennæ Romanæ pag. 85. Deſcriptas autem penes me habeo ſingularum hebdomadis dierum Preces Mahumedanis formatas, quibus titulus eſt ادعية الايام *Preces dierum.* Atque hiſce ſubjunguntur Formulæ Precationum binæ. Altera Abrahæ Patriarchæ tributa; Altera Domino noſtro Jeſu Chriſto, velut Dominica altera, ad hunc modum;

دعا عيسي ابن مريم

*Oratio alia Dominica, apud Mahumedanos.*

عليهم السلام كان يقول اللهم اني
اصبحت لا استطيع دفع ما اكره وما
املك نفع ما ارجو واصبح الاجر بيد
غيري واصبحت مرتهنا بعملي فلا
فقير افقر مني الي عفوك يا كريم
اللهم لا تشمت بي عدوي ولا تسوبي
صديقي ولا تجعل مصيبتي في ديني
ولا تجعل الدنيا اكبر همي ولا
مبلغ علمي ولا تسلط علي من لا
يرحمني برحمتك يا ارحم الراحمين

Id eſt,

Id eſt, *Precatio Ieſu Filii Mariæ,*

*Super quibus pax ſit. Dixit, Deus, non potis ſum depellere id quod averſor, nec adquiſivi Bonum illud quod ſpero. Et mercedem in manu habent alii præter me. Sed Pignus eſt* ſeu *manet in opere meo.* (id eſt, ut puto, opera mea velut Pignus manent; necdum accepi id cujus nomine oppignerata ſunt) *Neque eſt quiſquam pauper me pauperior. Indulgentiam tuam; ô Venerande. Deus, ne opprobrio mihi ſinas eſſe inimicum meum, nec vilipendat me amicus meus. Neque ponas afflictionem meam in Religione mea. Neque fac ut Mundus ſit maximum ſtudium meum, aut faſtigium ſcientiæ meæ. Neque præfice mihi eum qui non miſerebitur mei. Pro miſericordia tua, O Miſerantiſſime miſereſcentium.*

*Quantus honor, etiam apud Mahumedanos, Ieſu Chriſto D. N. habitus.*

Neque mirum videatur, quod D. N. Jeſu Chriſti aut Beatæ Virginis nomen adeò reverenter habeant Mahumedani. Ut cùm de Patriarchis veteris Teſtamenti, aliiſve quos magni æſtimant demortuis, ſic etiam cum de hiſce ſive ſimul ſive ſeorſim loquuntur, infrequens non eſt adjectio illa عليهم السلام *ſuper eos ſit pax;* (aut ſuper *eum* aut *eam*) quemadmodum nominibus mortuorum, quotquot ſine reverentia memorare nolunt Ebræi, ſubjicere plerunque ſolent, עליו seu עליהם השלום *ſuper eum* aut



*ſuper*

*ſuper eos ſit pax.* Et in Alcorano, ſummo cum honore mentio fit non rara D. N. Jeſu Chriſti. Repetitum legitur in Azoara 2. velut ex perſona Numinis; اتينا عيسي ابن مريم البينات وايدناه بروح القدس *Dedimus* *Ieſu Filio Mariæ virtutes notiſſimas* ( miracula faciendi interpretatur Mahumedes Ben Achmet egregius Alcorani Paraphraſtes Mahumedanus) *& fortem eum rediđidmus per Spiritum Sanctum.* Salutatio item Angelica ad hunc modum ſe habet Azoarâ 3. Arabicè, ſed Latinè quintâ يا مريم الله يبشرك بكلمة منه اسمه المسيح عيسي ابن مريم وجيها في الدنيا والاخرة ومن المقربين ويكلم الناس في المهد وكهلا ومن الصالحين *O Maria, Deus bonum nuncium tibi mittit per Verbum ſuum quod ex eo eſt. Nomen ejus Meſsias* ſeu *Chriſtus Ieſus Filius Mariæ, Potens in præſenti ſeculo & futuro, ſcientiſsimus, qui loquetur hominibus in cunabulis* (infantulis) *& ſenibus, vir optimus.* Ubi Mahumed Ben Achmet Paraphraſtes expreſſim illud *verbũ ſuum quod ex eo eſt* interpretatur per ولد *Filium*, nempe Mariæ tantùm. Nec enim aliter vult ſecta illa. In præſenti autem ſeculo intelligi eum ait ille potentem.

tem fore بالنبوة *prophetia*, atque in futuro بالشفاعة والمبدعات العلي *Interceſſione & Præparatione cœleſti.* Compluria ibi ſequuntur quibus maximi fit apud eos tum D. N. Jeſus Chriſtus tum Evangelium ejus, uti & Azoarâ 5. Arabicè ſeu 12 & 13. Latinè, & Azoarâ 71. Latinè quæ Arabicè eſt *61*, alibique in farragine illa. Et videſis Joannem Cantacuzenum in Apologia 4. κατὰ τοῦ Μωαμέθ. Alia de Formulis Precum Mahumedicis habes in Petri Kirſtenii Decade Sacra. Sed qualiſcunque heic ſententia ſeu Mores fuerint ſive Paganorum ſive Mahumedanorum (quorum in rebus Chriſtianiſmi perpendendis, nedum decernendis, ratio haberi parùm ſolet; neque heic habetur alitèr atque Judaiſmo concordes ſunt) id certum intereà eſt, Reipublicæ Ebraicæ ſeu Eccleſiæ illius ſingularis ac ab ipſo Numine inſtitutæ, atque in partes diſſerentium variatim trahi ſolitæ, ſcita hac de re & Formulas priſcas ſe habuiſſe, juxta ea quæ ſuperiùs oſtenſa ſunt. Quibus inſuper adjicimus vetuſtum illud de Rabbi Eliæzere, Magno dicto, & Rabbi Jochanan Ben Zacai Teſtimonium. Diſcendæ legis gratiâ acceſſit ad Rabbi Jochanan, Juriſconſultum & Theologum Hieroſolymis celeberrimum, Eliæzer ille, omnimodæ diſciplinæ ſatis ignarus. Cui Rabbi Jochanan, An nondum, inquit, didiciſti קרית שמע ולא תפילה ולא ברכת המזון *lectionem Audi* (qua de paulò ante) *nec Precandi ritum*, ſeu *Preca-*

 *tionem,*

*tionem, nec Benedictionem Menſæ*. Fatente illo ſe hæc planè neſcire, reponit Jochanan עמוד ואלמדך שלשתן *Siſte, & docebo te tres illas*, ſcilicet Formulas. Sic legitur in capite primo ejuſdem Eliæzeris *Pirki* ſeu capitum. Pro temporum doctrinæ varietate alitèr atque alitèr quidem à nonnullis collocantur Hi in ætatum ſerie. Sed ita intereà, ut Chriſti ipſius tempori aut coævus ſit aut vicinus uterque. Videſis *Sepher Iuchaſin* fol. 22. a & 32. a Et de Rabbi Jochanan, res manifeſta eſt; eum ſcilicet, Chriſto in terris agente, floruiſſe. Si autem libros Rabbinicos, ævi utcunque recentioris, priſcâ nihilominùs diſciplinâ refertos, hac de re conſulere ipſos haud dedigneris qui potis es Lector, adde, ſi placet, ſupra citatis Levi Barcinonſem in *Sepher Chinok* ſeu *Introductorio* aut *Catechiſmo*, præcepto 431. & Rabbi Jacob Ben Rabbi Aſcher in *Arba Turim*, tractatu *Orach Chaüm*, cap. 112, 113. & ſequentia uſque in 132. ubi de Octodecim, quas memoravimus, precandi Formulis ab Ezra & Conſiſtorio ſuo Centumvigintivirali præſtitutis, capitibus in ſingulis fuſiùs diſſeritur. Autor uterque, maximè Rabbi Jacob, Judæis eſt percelebris. Minorum gentium Scriptores perſuaſionis illius libens prætereo. Sed etiam è veteribus, ipſiſque Pandectis Talmudicis, plura in hanc rem exhibere, non eſt difficile.

12.

*Et Patriarcham eum crearent* ] Verbum quod *creare* heic reddimus, eſt صلح ; eodem ſenſu aliquoties in hac periocha repetitum. Et luce clarius eſt, tantundem illud Eutychio paritèr ſignificare, tam ubi de Patriarcha, ut hoc loco, à Presbyteris ſubſtituendo, quàm ubi de eodem ab Epiſcopis conſtituendo ſeu creando paulò inferiùs loquitur. Vox ipſa, ſeu potiùs vocis notio heic uſurpata ( nam & alias habet) Arabibus interpretatur *perfectum*, *omnibus numeris ac ritu omnimodo abſolutum*, *completum*, *undiquaq; ornatum*, *inveſtitum reddere*: adeoque reſpondit τῷ Græcorum καταρτίζειν quà hoc *perficere* ſeu *abſolutum* aut *completum reddere* ſonat. Ubi Græcus habet, Pſalmo 10.3. ὅτι ἃ σὺ κατηρτίσω, αὐτοὶ καθεῖλον, quod veteribus vertitur, *quoniam quæ perfeciſti deſtruxerunt*, redditur in Arabiſmo ( nam ex verſione Græca aut alia, cui Græca fons erat, Pſalmi, qui eduntur, Arabici verſi ſunt) *deſtruxerunt* ما اصلحت *quod perfeciſti*. Et Pſalmo 79.16. ex illo Græcorum καὶ κατάρτισαι αὐτὴν ἣν ἐφύτευσεν ἡ δεξιά σου & veterum Latinorum, *Et perfice eam* (Vineam) *quam plantavit dextra tua*, Arabicè legitur واصلح pro *& perfice*. Scio quidem Maronitas in editione Romana vocabulum hoc utrobique *aptare* vertere. Nam etiam idem ſignificat *parare* ſeu

*aptare*

*aptare* aut *aptum reddere* uti & *inſtaurare*, quemadmodum item καταρτίζειν. videſis Epiſt. ad Galatas cap. 6. 1. Sed tum ex veteri τῦ καταρτίζειν eis in locis notione, tum ex conſono τῦ صلح apud noſtrum alia in re heic uſu, de ſignificatione quam memoravimus dubitare nequimus. At verò etiam cùm de Dignitatibus Eccleſiaſticis creandis ſeu ordinandis loquuntur Arabes, pro eo quod eſt *ordinare* ſeu *creare* non raro adhibent etiam verbum صيّر (uti & Eutychius heic) quod *efficere* καταςῆσαι ſeu *conſtituere* ſonat, ſicut & صنع id eſt *facere*, ut videre eſt in Concilii Nicæni Canonibus Arabicis.

13.

*Virum aliquem inſignem eligerent*] ſequitur in codice Antiocheno قسيسا فيصيروه معهم عوض من القس الذي اصلح بطريرك فيكونون اثنا عشر ابدا الدهر *in Presbyterum, quem ſibi cooptarent loco ejus Preſbyteri qui Patiarcha ſuffectus fuerit, ita ut in perpetuum forent duodecim.*

14.

*Neque deſiit Alexandriæ Inſtitutum hoc de Presbyteris*] Codex heic Antiochenus; ولم يزل الرسم

الرسم جاريا الي ايام الاسكندرس
بطريرك الاسكندريه الذي كان في
جمله الثلثمايه وثمنيه عشر فانه منع
ان نصلح القس بطريرك وامر ايضا
اذا مات البطريرك ان يداروا من اي
بلد كان رجلا فاضلا او من الايك
الاثنا عشر او غيرهم ممن يرضا
حاله ويصلحوه بطريركا وانقطع الرسم
القديم باصلاح القسوس البطريرك وجري
الرسم للاساقفه في اصلاح البطاريك
وامرهم لم يسمي بطريرك الاسكندريه
بابا *Et durauit inſtitutum hoc uſque in tempora fermè Alexandri Patriarchæ Alexandrini, qui fuit ex numero illo 318. Sed is prohibuit ne crearent Presbyteri Patriarcham; atque inſtituit, ut quando moreretur Patriarcha eligerent ex quacunque regione uirum inſignem, ſiue ex ipſis illis duodecim ſiue ex aliis ut res tulerit, & Patriarcham eum crearent. Sed euanuit inſtitutum illud uetuſtum quo creabant Patriarcham Presbyteri, & ſecutum eſt inſtitutum quo Epiſcopi crearent Patriarcham. Monuit etiam eos ne uocitaretur Patriarcha Alexandriæ Papa &c.* Codicis utri-

*Maſſ Alexandrinæ eccleſiæ quo Presbyteri tum eligebant tum ordinabant Patriarcham uſq; ad Alexandrum Patriarcham durauit.*

uſque ſenſus videtur manifeſtus; eligendum nunc fuiſſe à Presbyteris Patriarcham, ſive ex ipſis ſive ex aliis; creandum autem ſeu ordinandum ab Epiſcopis. Ita nimirùm ex Alexandri Patriarchæ inſtituto inoleviſſe, contrà quàm ante obtinuerat.

15.

*De Patriarchis Alexandrinis ab Hanania primo, uſque in Alexandrum.*

*Vſque ad Tempora Alexandri Patriarchæ Alexandrini*] Ut tum hujus tum aliorum, quorum poſteà fit mentio, tempora ritè, juxta Eutychii mentem, intelligantur, Patriarcharum Alexandrinorum Laterculum ab Hanania primo uſque in Alexandrum hunc, ob oculos ex eiſdem, unde Origines hæ deſumuntur, codicibus, exhibemus. Annis cujuſlibet ipſorum tum initiorum tum præfecturæ durationis, juxta Cæſarum annos, inde item adjectis; ſed & vulgaribus æræ Chriſtianæ, ut facilius Lectori agnoſcantur, ſimul interſertis.

*Patriarcha-*

## *Patriarcharum Alexandrinorum Laterculus, uſque in Alexandrum qui Nicænæ interfuit Synodo primæ.*

| | | | |
|---|---|---|---|
| I Hananias *ſeu* Anianus *creatus.* | Claudii Cæſaris anno 9. | Chriſti 51 | Sedit 22 |
| II Abilius | Veſpaſiani 9 | 77 | 13 |
| III Cerdon | Domitiani 5 | 85 | 10 |
| IV Primus | 15 | 95 | 12 |
| V Juſtus | Trajani 11 | 108 | 10 |
| VI Eumenes | Hadriani 2 | 118 | 12 |
| VII Marcianus, *ſeu* Marcus | 14 | 132 | 10 |
| VIII Celadius *ſeu* Celadion | Antonini Pii 4 | 141 | 11 |
| IX Agrippas *ſeu* Agrippinus | 15 | 152 | 12 |
| X Julianus | Antonini Philoſophi 5. | 165 | 10 |
| XI Demetrius | 15 | 175 | 43 |
| XII Heraclas | Alexandri Severi 1. | 222 | 13 |
| XIII Dionyſius | Maximini 2 | 236 | 17 |
| XIV Maximus *ſeu* Maximianus | Valeriani 1 | 255 | 18 |
| XV Theon, *ſeu* Theonas | Aureliani 4 | 272 | 19 |
| XVI Petrus | Diocletiani 10 | 293 | 10 |
| XVII Achillas | 20 | 303 | menſes 6 |
| XVIII Alexander | Conſtantini Magni 5. | 310 | 16 |

Temporum apices heic non excutimus. Et multiplex ſanè inter Eutychium noſtrum & Chronologos quos terimus alios in Annorum ratione diſcrimen. Etiam Octennio integro, imputandis à Natalibus Chriſti annis, à Chronologia vulgari diſſidet. Expreſſim ubi de Hegiræ Mahumedanæ initio agit, (quod ſcilicet anno Chriſto vulgari 622 tribui paſſim ſolet) ومن inquit المسيح سيدنا الي الهجرة ستماية واربعة عشر سنة *Et à Chriſto Domino noſtro uſque ad Hegiram anni ſunt 614.* Secundùm quos, etiam ſuos in tempore digerendo deducit. Sed hæc aut hujuſmodi alia extricandi aut diſcutiendi hic non eſt locus. Certè de Octennii ejuſmodi diſcrimine, conſonus eſt in anno Nicæni Concilii primi deſignando, Dorotheus Monembaſiæ Metropolita ut videre eſt inferiùs numero proximo. De Patriarchatum intereà hac ſerie, monere viſum eſt; Secundum, qui Abilius vocatur ac in Ms. quo utimur Catalogo non contemnendo ſcribitur Αἰμίλιος *Æmylius*, & in Codice Ms. Nicephori Chronographiæ, in Bibliotheca Londinenſi publica, Αἰβίλιος, in Codice Eutychii Alepenſi فيليطيوس *Philidium* dici, & in Antiocheno ميليطيوس *Meletium.* Prætermitti item Librarii incuriâ in Antiocheno Cerdonem. In Alepenſi

penſi autem legi ad hunc modum, وفي خمسة عشر سنه من ملكه صير كرديوس بطريرك على الاسكندريه اقام عشر سنين ومات ◎ وفي خمسة عشر سنه من ملكه صير بريموس بطريرك على الاسكندريه اقام اثنا عشر سنه ومات *Et anno Imperii ejus decimo quinto* (Domitiani) *erat Cerdius* ſeu *Cerdo Patriarcha Alexandrinus, qui ſedit annos X. Eoque mortuo anno ejuſdem XV erat Primus Patriarcha Alexandrinus qui poſtquam annos ſederat XII mortuus eſt.* Sed legendum planè in initio وفي خمسة سنه *Et anno Imperii ejus quinto erat Cerdius &c.* Nam & ſic exigit annus XV proximo tributus, poſt finitum Cerdonis decennium. Qui Primus heic rectè vocatur, eſt Priamus in Nicephori Editionis Scaligerianæ. Sed Codex quem diximus vetuſtus ejuſdem Ms. in Bibliotheca Londinenſi publica, habet ibi Πρίμος; & Eumeni tribuit annos VIII, Agrippino XII, Juliano V, Demetrio XLIII, Heraclæ XVI, aliàs, in ſerie noſtra, editis conſonus. Quod verò in Vita S. Eugeniæ, Autore incerto, legitur, Philippum Præfectum Auguſtalem in Epiſcopatus Alexandrini dignitatem evectum ſub horum tempora, id eſt, ſub Severo Auguſto, Sedemque tenuiſſe unum

annum & menſes tres, id Chronologis atque Hiſtoricis Eccleſiæ Chriſtianæ ac Epiſcoporum illius loci Catologis, adeò eſt adverſum ut planè ſpurium ſit habendum. Uti & monuit Baronius Tom. 2. anno Chriſti 204. At verò ex iam narratis liquet, uſque in quarti à Natalibus Chriſti ſeculi initium, juxta Eutychium, durâſſe inſtitutum illud Eccleſiæ Alexandrinæ, ut nimirùm è Presbyteris Alexandrinis, tum eligeretur ab ipſis Patriarcha, tum electus ab ipſis ordinaretur, crearetur, ſeu conſecraretur.

## 16.

*De numero Epiſcoporum ſeu Patrum Synodi primæ Nicænæ.*

*Qui fuit ex numero illo* 318.] Ex Patribus ſcilicet Synodi Nicænæ primæ, quod Concilium Patrum 318 ſignantiùs dici ſolet. Sed verò non tam indicatum vult heic Eutychius, ex ejuſdem Synodi numero fuiſſe Alexandrum hunc (quod ſatis ſcimus ex hiſtoriis Eccleſiaſticis & ipſis Synodi ſubſcriptionibus) quam ex numero illo Trecentorum Octodecim, quem nec partem ſane ſextam Epiſcoporum, qui in ea juſſu Conſtantini convenerant fuiſſe neſcio unde edoctus tradit ille. Etenim in rebus Conſtantini, diſputationem de Chriſti Divinitate inter Alexandrum hunc & Arium hæreſiarcham coram ipſo Conſtantino & comitatu ejus habitam enarrans, admodum placuiſſe ait Conſtantino Alexandri ſententiam, atque ut prorſus damnandam Arii diſplicuiſſe. Indictam igitur, Alexandri hortatu,

fuiſſe

*Epiſcopi in Synodo Nicæna prima, juxta Eutychium,* 2048.

ſuiſſe à Conſtantino Synodum Nicææ, atque illuc juſſu ejus accerſitos Patriarchas & Epiſcopos orbis Romani, ſcilicet qui numerum 2048 complerent. Verba ſunt, واجتمع في مدينة نيقية بعد سنة وشهرين الفين وثمانية واربعون اسقفا وكانوا مختلفين الاراء والاديان *Et congregati ſunt in urbe Nicæna poſt annum & binos menſes, bis mille & quadraginta octo Epiſcopi, judicio & perſuaſione invicem diſſidentes.* Unamines verò Trecentos & Octodecim de Chriſti Divinitate pronuntiâſſe, à reliquis ſententiarum diſcrimine multiplici diſtractis fruſtrà impugnatos. Neque ſolùm nobis hoc tradidit Eutychius noſter, verùm etiam tum Joſephus Sacerdos ſeu Presbyter Ægyptius, in Præfatione Conciliorum Arabicè è veterum Chriſtianorum quæ aut periere aut in Occidentem nondum pervenêre monimentis ſive Græcis ſive Syriacis verſorum, in bibliotheca publica Oxonienſi, eandem ipſam ferè narrat hiſtoriam, tum Hiſtoricus Mahumedanus per-celebris, Iſmael Ibn Ali, idem ipſum de numero heic aſſerit. Utriuſque verba, præter alia non pauca, rogatus peramicè deſcripſit mihi, è codicibus manuſcriptis ex Oriente dudum Oxonium allatis, Edwardus Pocockius Linguæ Arabicæ illic profeſſor, vir ſingulari tum eruditione tum humanitate ornatiſſimus. Scriptoris Chriſtiani

ſeu

ſeu Joſephi Ægyptii jam dicti, verba ſunt, فوافا

*Numero 2048 Epiſcorum, ſeu Eutychiano, conſonus eſt Anonymus in Præfatione Conciliorum Arabicorum.*

منهم الي مدينة نيقية في مدة
يسيرة الفين وثمانية واربعين اسقفا
وذلك في سنة ستة وثلثون
وستماية من سنين الاسكندر وهي
سنة ثلثماية وثلثة وسبعون من سنين
انطيوخس الانطاكي في تسعة ايام
من شهر حزيران وامر الملك بقراة
الامانة الذي كان كتبها اليه اسقف
اورشليم علي جماعة الاسقفة وقبلوا
منهم ثلثماية وثمانية عشر اسقفا كانوا
مثل ملايكة الله في الفضايل والتقوي
وكنجوم السما في النور والبها *Et*
*convenerunt ex eis Nicææ multitudo numeroſa, uſque ſcilicet ad bis mille & quadraginta octo Epiſcopos. Atque evenit hoc anno 636 Alexandri qui fuit annus æræ Antiochenæ 373 die nono menſis Haziran* ( qui menſis eſt Syrorum æſtivus.) *Et juſsit Imperator ut Fides quam deſcripſerat ei Epiſcopus Hieroſolymitanus legeretur Synodo Epiſcoporum. Et amplexati ſunt eam ex eis 318. Epiſcopi, qui fuere inſtar Angelorum Dei propter excellentiam*

*excellentiam & virtutem, atque velut Sydera Cœli propter lucem & ſplendorem.* Et pergens ait horum fermè univerſos fuiſſe ex eis qui in perſecutionibus anteactis, membris, velut oculis, manibus, pedibus, auribus, aliis mutilati eſſent. Cui conſonum eſt quod Germanus Patriarcha Byzantinus libro Ms. περὶ τῶν ἁγίων συνόδων, *de ſanctis Conciliis*, hoc de numero habet. Πολλοὶ δὲ τῶν ἐκεῖσε, inquit, συνδεδραμηκότων ἐπισκόπων ὁμολογηταὶ τῆς πίστεως ἐτύγχανον, ἐν τοῖς διωγμοῖς ἀκρωτηριασθέντες ὑπὸ τῶν ἀσεβῶν καὶ ἀνόμων βασιλέων, καὶ τῶν μὲν τὰ νεῦρα τῶν ποδῶν, τῶν δὲ οἱ ὀφθαλμοὶ, καὶ ἑτέρων ἄλλα μέρη τοῦ σώματος ἀποτετμημένα ἐτύγχανον ὑπὲρ τῆς εἰς Χριστὸν αὐτῶν πίστεως καὶ ὁμολογίας &c. *Multi Epiſcoporum qui illuc convenerunt, Confeſſores Fidei fuerant, mutilati ſcilicet in Perſecutionibus à Principibus impiis ac tyrannis. Ac aliorum pedum nervi exciſi, aliorum oculi, uti & aliorum alia corporis membra, nempe ob eorum in Chriſtum Fidem ac Confeſſionem.* Quem locum, uti & alia jam dicti Germani mecum communicavit vir ſingulari eruditione ac humanitate eximius Patricius Junius. Adjicit autem Anonymus ille in Præfatione Conciliorum Arabicorum وكانوا الباقون بعد هولا الثلثمايه والثمانيه عشر متباينين مختلفين غير متفقين ايضا في اهوائهم وايمانهم *Reliqui verò præter illos trecentos & octodecim variatim diſſenſere nec quidem inter ſe concordes nec in fide*

*Germanus Patriarcha Byzantinus, de Patribus Nicænis.*

*Concors Numero* 2048 *ſeu Eutychiano*, Iſmael Ibn Ali, *hiſtoricus Mahumedanus.*

*fide ſua.* Quod fuſiùs narrat Eutychius, ut infra oſtendimus. Scriptor demùm ille Mahumedanus Iſmael Ibn Ali, ad hunc modum;

ولعشرين سنة مضت من ملك قسطنطين
المذكور اجتمع الفان وثمان واربعون
اسقفا ثم اختار منهم ثلثماية وثمانية
عشر اسقفا فحرموا اريوس الاسكندري
لكونه يقول ان المسيح كان مخلوقا
واتفقت الاساقفة المذكورون لدى
قسطنطين ووضعوا شرايع النصرانية
بعد ان لم تكن وكان رييس هذه
البطارقة بطريق الاسكندرية *Exeunte anno viceſimo jam memorati Conſtantini Auguſti, congregati ſunt Epiſcopi* 2048. *Tunc ſelegit ex eis* 318. *Et anathemate feriebant Arium Alexandrinum, eo quod Chriſtum assereret eſſe creaturam. Et conſenſere Epiſcopi jam memorati Conſtantino, & religionem Chriſtianam publicarunt aliter atque ſe ante habuerat* (memineris ſcriptorem eſſe Mahumedanum.) *Princeps autem Patriarcharum ſeu Epiſcoporum horum erat Patriarcha Alexandrinus.* Sic Iſmael ille. Dum verò pergit Eutychius, initâ ait, de hæreſi Ariana, diſceptatione, alias atque alias Patres qui convenerant ſententias de Natura Chriſti protuliſſe veluti Marianos,

*Sententiarum in Synodo Nicæna Diſcrimen ingens, juxta Eutychium.*

nos, Sabellianos, Samoſatenſes, Marcionitas, alios. Et dein Orthodoxam, Apoſtolicam, & à patribus 318 ſtabilitam ſententiam fuiſſe narrat, Chriſtum Deo Conſubſtantialem fuiſſe. Locum ea de re integrum intueri non pigeat. ومنهم كان يقول تبالة المسيح وهي مقالة بولص الرسول۞ ومقالة الثلثماية وثمانية عشر اسقفا۞ فلما سمع قسطنطين الملك مقالاتهم عجب من هذا الاختلاف۞ واخلا لهم دارا۞ واقام لهم فيها الانزال. وامرهم ان يتناظروا لينظر مع من الدين الصحيح فيتبعه۞ فاتفق منهم هولا الثلثماية وثمانية عشر اسقفا علي دين واحد ورايا واحد۞ فتناظروا بباقي الاسقفة وناظروهم۞ فافلجوا عليهم حججهم۞ واظهروا الدين المستقيم۞ وكان ايضا باقي الاسقفة مختلفين الارا والاديان۞ ووضع الملك الثلثماية والثمانية عشر اسقفا مجلسا خاصا وجلس في وسطهم۞

وسلطهم ۞ واخذ خاتمه وسيفه وقضيبه
فدفعه اليهم وقال لهم قد سلطتكم
اليوم علي مملكتي لتصنعوا فيها ما
ينبغي لكم ان تصنعوا مما فيه قوام
الدين وصلاح المومنين ۞ فباركوا
علي الملك وقلدوه سيفه ۞ وقالوا له
اظهر دين النصرانيه وذب عنه ۞
ووضعوا له اربعين كتابا فيها السنن
والشرايع ۞ منها ما يصلح للملك ان
يعملها ۞ ويعمل بها ۞ ومنها ما يصلح
للاساقفه ان يعملون بها فيها

*Fuere ex eis alii, quorum ſententia erat, Chriſtum Deo conſubſtantialem eſſe. Atque hæc ſententia eſt tum Pauli Apoſtoli, tmm Epiſcoporum* (qui aderant) *trecentorum octodecim. Cum verò ſententias has audierat Conſtantinus, mirabatur tot earum diſcrimina, unde, ædibus, & cubiculis eis præparatis, juſſit ut diſputationem inirent, quî, re hinc illinc controverſâ, veritatem Fidei demum repertam amplexarentur. Conſenſere autem univerſi ex illis Epiſcopi 318 in fidem unam ac ſententiam unam, & reliquos Epiſcopos argumentis impugnantes, ſuam in eos ſententiam adſtruebant*

&

*& fidem firmitèr retinendam manifeſtabant. Reliqui verò Epiſcopi inter ſe variatim ſententia & fide diſſiderunt. Poni fecit dein Conſtantinus Epiſcopis trecentis octodecim Sedes ipſis ſingulares & conſidens ipſe in eorum medio, ſumto Annulo, Gladio, & Sceptro ſuo, ea tradidit illis, hæc fatus. Præficio vos hodie Imperio meo, ut id efficiatis in eo quod vobis ex officio veſtro eſt præſtandum. Vt ſcilicet ea efficiatis quæ ad Fidei firmitudinem & Credentium ſalutem ſpectent. Benedixerunt ei Epiſcopi, & cinxerunt eum gladio ſuo, dicentes ei, Manifeſta fiat & Publica Fides Chriſtiana atque defenſio ejus. Et poſuère ei Quadraginta Scripta, quibus continebantur Iura & Canones. In quibus alia fuere quibus docebatur Imperator quomodo in rebus ibi memoratis agundis ſe gereret, alia quibus Epiſcopis paritèr præſcriptum eſt, quid & quomodo ipſis faciendum.* Id quod eſt أربعين كتابا verti *Quadraginta Scripta*, quod *libros* ſeu *libellos* vertere liceret. Sed quid ſibi velit heic Eutychius, dum ſic tradit, tam inſcius ſum, ut generis potius (quo etiam Canonum fortè numerus, utcunque à recepto alius, potuiſſet indicari) quam ſpeciei nomine uti mallem. Neque ad libellos ab Epiſcopis ſub initium Synodi ad Conſtantinum allatos, atque igni mandatos, de quibus obiter in Hiſtoria Eccleſiaſtica, omninò poteſt intelligi. Nec de Capitulis 40 à Latinis, totidemque à Græcis ibi tractatis, quorum mentio in Epiſto-

la Athanaſio tributa, ad Marcum Papam pro exemplaribus Concilii Nicæni. Præterire autem heic nequimus, in Præfatione quæ habetur in Codice quem diximus Conciliorum Arabico, tradi, Acta atque Diſputationes dicti Concilii libros occupâſſe quadraginta, ac dicta ſeorſim & definitiones Orthodoxorum libros quindecim, & Canones ipſos tres libros. Sed verò Controverſia antehac habita eſt aliqua, utrum Epiſcoporum in Concilio hoc Nicæno numerus minor eſſet eo qui vulgo recipitur, ſeu trecentis octodecim. Et videſis de minori ſimùl, & ſubinde incerto, Euſebium de Vita Conſtantini lib. 3. cap. 9. Gelaſium Cyzicenum lib. 2. cap. 5. Socratem lib. 1. cap. 6. Theodoretum Hiſt. 1. cap. 7. & 8. Hiſtor. Tripartit. lib. 2. cap. 1. & Nicephorum Calliſtum lib. 8. cap. 16. Adde Alphonſum Piſanum de Nicæno Concilio lib 1. Baronium Tom. 3. anno 325. num. 18. & Notas Severini Binii ad dictum Concilium, quas ipſiſſimas exſcripſit in Summam ſuam Conciliorum Franciſcus Longus à Coriolano pag, 206.

*De Numero in Synodo Nicæna trecentis octodecim minori.*

Etiam expreſſim Conſtantinus ipſe apud Socratem de Epiſcopis trecentis & περὶ τριακοσίων ϗ πλειόνων *amplius trecentis* loquitur in Epiſtola ad Alexandrinos. Certè & Epiſcopos recepto numero defuiſſe octoginta ſex tradit Scriptor vetus qui Chalcedonenſis Concilii tempore floruiſſe videtur, ſeu circa 120 à Nicæno annis. Numerum autem integrum Sacerdotibus & Monachis ſupplet. Is librum conſcripſit, cui titulus, Συναγωγὴ

*Autores eſſe, Patrum Nicænorum fuiſſe 232. Epiſcopos, reliquos gradus inferioris.*

ϗ ἐκθέσεις τῶν ἁγίων πασῶν συνόδων, *Collectio atque Expoſitio omnium ſanctarum Synodorum*, nondum typis editum, ſed nuper à Chriſtiano Ravio, Germano, Juvene literis maximè Orientalibus admodùm inſtructo, in Angliam, cum aliis raris ac pretii maximi Codicibus Manuſcriptis, ex Oriente allatum. De Conſtantino Autor ille; ἐκέλευσε, inquit, κοινῷ γράμματι τοὺς ἐπισκόπους ἅπαντας ἐπὶ τὴν τῆς Βιθυνίας Νίκαιαν συνελθεῖν διὰ δημοσίων ἵππων ϗ ἀναλωμάτων. Καὶ συνῆλθον ἀρχιερεῖς μὲν σλβ, ἱερεῖς δὲ ϗ διάκονοι ϗ μονάζοντες πϛ, οἱ σύμπαντες τιη, θεοφόροι πατέρες, *Publico juſſit edicto omnes Epiſcopos Nicææ, quæ Bithyniæ Vrbs eſt, convenire, nec ſine vectura publica & commeatu. Et convenere Pontifices ſeu Epiſcopi* 232, *& Sacerdotes & qui Monaſticam degebant vitam* 86. *Omnes ſimul fuere* 318, *Patres Divini.* Atque hinc etiam Dorotheus Metropolita Monembaſiæ in Synopſi Miſcellanea Græcobarbare conſcripta pag. 238. de Conſtantino; ἀμὴ ἔστειλεν ὁρισμοὺς κατὰ πᾶσαν πόλιν ϗ τόπον νὰ μαζωχθοῦν οἱ ἀρχιερεῖς ϗ οἱ πρῶτοι τῶν Καλογήρων εἰς τὸ Κάστρον τῆς Νικαίας, *Miſit igitur in omnes Vrbes & loca edicta ſua, ut convenirent Epiſcopi & Monachorum Primarii in Vrbe Nicæa.* Etiam & diſtinctionem parilem numeri & qualitatis convenientium habet. Καὶ κατὰ τὸν ὁρισμὸν, inquit, τοῦ βασιλέως ἐσυνάχθησαν ὅλοι τους εἰς τὴν Νίκαιαν. Καὶ οἱ μὲν ἀρχιερεῖς ἦσαν διακόσιοι τριαντάδυο. οἱ δὲ ἱερεῖς ϗ Διάκονοι ϗ Καλόγηροι ἦσαν ὀγδοηκονταέξη. ὅλοι τριακόσιοι δεκαοκτώ. *Et ſecundum Imperatoris edictum convenêre univerſi Nicææ. Epiſcopi autem fuere* 232. *Sacerdotes verò, Diaconi & Monachi* 86. *Cuncti ſimul* 318. Et Ratio ſubjicitur mira de

numero.

numero. Καὶ διὰ τί τόσοι μόνον ἐδιαλέχθησαν. ὅτι ἀπὸ τοῦ καιρὸν τῆς ἐνσάρκου οἰκονομίας τοῦ Χριστοῦ ἕως τοῦ καιρὸν τῆς Συνόδου ἐκείνης τιη χρόνοι ἦσαν. *Et curnam tot ſolummodò ſelecti ſunt? quoniam à tempore Incarnationis Chriſti ad tempus hujus Synodi anni fuere* 318. Atqui à Chronologis ſummis, idque rectiſſimè, collocatur hoc Concilium ſeu initium ejus in anno à Chriſto nato 325. An octennio etiam tam Dorotheus, quam Eutychius noſter (ut ſupra tetigimus) diſcrepat in putandis à Natalibus Chriſti annis? Sed & mira eſt de hujus Concilii anno diſcrepantia; quam vide Notatam à Gilberto Genebrardo lib. 3. anno Chriſti 334. Certè Eutychius annum ei tribuit Conſtantini decimumnonum, qui receptæ Chronologiæ non ita diſcors eſt. De apicibus heic temporis hujus & tempore vero vide Joſephum Scaligerum de Emendatione Temporum, lib. 5. pag. 476. Dionyſium Petavium de Doctrina Temporum, lib. 11. cap. 41. & Baronium tom. 3. anno 325. & Alphonſum Ciaconium in Silveſtri Papæ 1. Vita, atque ipſum Canonum frontem. Certè & Beda noſter, atque juxta eum Lambertus Schaffnaburgenſis, anno Chriſti 318. collocant hanc Synodum, ut Dorotheus ille. Alii anno 314, ut Chronici incertus Autor à Petro Stevartio editus. Alii trigeſimo tertio ſupra trecenteſimum à Chriſti Natalibus annum, ut Pſellus in Carminum de Septem Synodis Fronte. Neque ille ſanè ſolus. Quod ſanè facere videntur quotquot Julium Papam in eo locum per procuratores

habuiſſe

habuiſſe volunt, qua de re plura inferiùs. Ceterùm, utut ſe res hæc habuerit, Ratio iſtiuſmodi Dorothei ſimpliciter ſumta futilis magis non eſt quam illa quorundam altera, qua numeri militum 318 Abrahæ hunc divinitus imitatorem fuiſſe vaniſſimè eſt exiſtimatum. Jamverò non ſolùm Epiſcopos ſed & minoris dignitatis Miniſtros, veluti Presbyteros, Diaconos, alios, Synodo tum interfuiſſe tum ejuſdem negotiis ſe palàm variatimque immiſcuiſſe manifeſtum eſt, tam ex Euſebio, quam ex Gelaſio, aliiſque. Vide Euſebium de Vita Conſtantini lib. 3. cap. 9. & Gelaſium in Actis Synodi lib. 2. cap. 36. Atqui Teſtimonia ſunt vetuſta, de numero illo 318 Epiſcoporum, eaque & expreſſiſſima & perquam magni habenda. Veluti apud Epiphanium in Hæreſi 69. Juſtinianum in Novella 131. cap. 1. Ruffinum lib. 10, cap. 1. Qui quidem omnes Synodo ipſa licet recentiores, vicini tamen. Adde excerpta Chronologica in Theſauro Scaligeriano pag. 69. & recentiorum quamplurimos perquam obvios, idem atteſtantes. Quæ etiam Euſebio ipſi tribuuntur habent eundem numerum in Chronico, numero 2337. Sed nemo heic mihi S. Athanaſio æquiparandus. Is ſcilicet, Archidiaconus tunc Alexandrinæ Eccleſiæ, cum Alexandro Patriarcha ſuo, cui proximè ſucceſſit, teſtis interfuit oculatus. Atque diſertè is in Epiſtola ad Epiſcopos Africanos, ἡ οἰκουμενικὴ, inquit, γέγονεν ἡ ἐν Νικαίᾳ Σύνοδος τριακοσίων δέκα καὶ ὀκτὼ συνελθόντων Ἐπισκόπων, *Univerſalis Nicææ Synodus*

*Teſtimonia de Numero receptiſſimo Epiſcoporum 318. in Synodo Nicæna.*

*dus celebrata fuit, convenientibus Epiſcopis* 318. Quod itidem habetur in Epiſtola ei tributa ad Marcum Papam pro exemplaribus Concilii Nicæni. Ea nomina ipſe deſcripſerat ſingula in libro, Synodico dicto, ut memorat Socrates Hiſt. 1. cap. 9. Liber autem is diù eſt quod periit. Saltem in Occidente nullibi reperitur. Sed de Nominibus, ſtatim plura. Quin & alibi habet Athanaſius quod manifeſtò adverſari videtur eis, quæ narrat Eutychius noſter aliique de tot heic diſſidentium ſententiis. In Oratione 1. contra Arianos, εἰ γὰρ, ait, ἐπίστευον ὀρθῶς ἠρκοῦντο τῇ ἐν Νικαίᾳ ἐκτεθείσῃ πίστει παρὰ πάσης τῆς οἰκουμενικῆς Συνόδου, *Si enim rectè crederent, contenti eſſent fide in Nicæna Vrbe promulgata ab univerſa Synodo Oecumenica*. Sic enim verto, non ut vulgo, *Fide in Nicæa ab univerſi orbis Concilio promulgata*. Aliud eſſe videtur Univerſam Synodum, ſeu Univerſos, nemine ſingulorum contradicente, conſenſiſſe aut promulgâſſe, aliud Concilium Univerſi orbis id feciſſe. Id enim, ex recepta majoris partis autoritate, civilitèr fieri poteſt, etiam reclamantibus ſingulorum compluribus. Quod & factum quidem in Synodo illa, qualiſcunque fuerit numerus, ſcimus ex eo quòd eſſent qui diſſentirent Arriani, aliique etiam Epiſcopi. Videſis Bartholomæum Caranzam in Summa, & Alphonſum Piſanum ſub finem lib. 2. præter vetuſtiores; ut Ruffinum lib. 10. cap. 5. Socratem lib. 1. cap. 5. Nicephorum lib. 18. cap. 18. & Acta Metrophanis & Alexandri apud Photium. Atque hactenus

nus de numeri Trecentis Octodecim minoris, atque ipſius demùm numeri teſtimoniis. Quod verò ad Majorem attinet, numerum, Sozomenus quidem paulò auctum voluiſſe videtur lib. 1. cap. 16, ubi Epiſcopos adfuiſſe ſcribit, ὡσεὶ ἀμφὶ τριακοσίους εἴκοσι, *circa trecentos viginti aut plures*. Et quicquid habuerit Euſebius in Hiſtoria ejuſque ſequaces de numero minori, expreſſim intereà ait, loco paulò ante citato, fuiſſe in Concilio hoc Presbyteros, Diaconos, alioſque Eccleſiæ Miniſtros quorum οὐδ᾽ ἦν ἀριθμὸς εἰς κατάληψιν, *Numerus non poterat comprehendi*, uti & Caſſiodorus in Hiſt. Tripartit. lib. 2. cap. 1. Sed verò an De Epiſcopis, quatenùs à Presbyteris tunc utcunque diſcriminabantur, loquantur Eutychius reliquique ante heic citati, dum 2048. eos fuiſſe aſſerunt, manifeſtum mihi ſatis non eſt. Rem undiquaque extricare, nimis eſt difficile. Atqui intereà haud cuiquam ideò diſpliceat Numerus hic, qui portentoſus proculdubio videbitur, quoniam tritis in Provincialibus & Notitiis quibus utimur Epiſcopatuum adeò ſit diſpar. Vide ſi placet Auberti Miræi Notitiam Epiſcopatuum, & veteres quas exhibet Geographia ſacra Caroli à S. Paulo. Ne partem quidem dimidiam Numeri Eutychiani in Orbe Chriſtiano ibi reperies. Verùm aberramus nimiùm non rarò nec leviter, dum de veteris Eccleſiæ Chriſtianæ nondum in Rempublicam aliquam ſeu Imperium civile receptæ, nec ad ejuſdem Formulam in Præfecturis qualibuſcunque

*De Numero Patrum Nicænorum trecentos octodecim excedente, teſtimonia.*

*Monitum, de Epiſcopis eorumque, ſeculis in illis vetuſtioribus, Numero decernendo.*

 diſpoſitæ

diſpoſitæ Rebus ac Perſonis judicium temerè ferimus ex eis & eorum norma, quæ poſt ejuſmodi Prefecturarum ſacrarum diſpoſitionem in uſu. Nam ante Conſtantini exitum ſeu tempora proximantia, Præfecturæ ſacræ non inſtar civilium aut ad earum ſive amplitudinem ſive anguſtias, ut ſeculis recentioribus, conſtituebantur. Et tunc Formula ea cœpit & progreſſus ſuos dein habuit, juxta doctiſſima atque appoſitiſſima Petri Berterii Pithana, ac diſſertationes aliquas de Regionibus Suburbicariis nuperas, quæ Vetuſtatis Eccleſiaſticæ ſtudioſis quantivis ſunt ſemper habendi pretii. Abſque illis ſeu Rationibus ac Teſtimoniis priſcis quibus utuntur, hallucinatio non raró irruit ſolennis, & judicium nimìs præceps. Seculis illis vetuſtioribus ſeu Conſtantino coævis (quorum Notitiæ ſeu Provincialia quibus utimur, non ſunt) contractiores proculdubio fuere multò, adeoqne multò numeroſiores Parœciæ, Diœceſes, ſeu Eccleſiæ quas pro re nata atque ut res ea ferebat, ſive ex perſuaſione ſive ex compromiſſo (nam hactenus imperium propriè ſumtum in Eccleſia Chriſtiana nullibi erat) curabant Epiſcopi, limites ſortiti quos nunc planè neſcimus. Et Conſtantinus in Epiſtola ad Chreſtum Syracuſanorum Epiſcopum (apud Euſebium lib. 10. cap. 5.) ait ſe aliàs in Arelatenſem Synodum convocari mandâſſe πλείςυς ἐκ διαφόρων ϗ ἀμυθήτων τόπων ἐπισκόπυς. Quod dum bene quidem vertitur, *Plurimos Epiſcopos ex locis diverſis, & propè infinitis*, &

breviuſculè

breviſculè iteratur ab eodem in Epiſtola ad Alexandrinos, (ubi ait ſe convocâſſe in Urbem Nicænam τοὺς πλείους τῶν ἐπισκόπων, *Pleroſque Epiſcoporum*, ut legitur apud Socratem lib. 1. cap. 6.) non videtur ſanè admittere Epiſcoporum Chriſtianæ Eccleſiæ tunc temporis numerum intra trecentorum octodecim, aut quadringentorum cancellos retineri, tametſi Synodo illi Nomina ſubſcripta longè ſint pauciora. Nam etiam ante hoc tempus in Ægypto & Africa ſolùm, fuiſſe Epiſcopos ἐγγὺς ρ′, *propè centum*, legitur in Actis Metrophanis & Alexandri apud Photium Codice 250. Etiam conſentiunt Scriptores, ex toto Orbe Chriſtiano illuc accerſitos eſſe Antiſtites ſacros. Quid quod ſcimus, monente Epiphanio, Urbes multas plures Epiſcopos, non, ut antiquitùs Alexandriam, unicam ſemper habuiſſe. Sic ille Hæreſi *69. 6.* Etiam ut Catholici Epiſcopos ſuos, ita & Hæretici in eiſdem Urbibus ſeu Diœceſibus ſuos ſæpe habebant. Quod ex Conciliis maximè Africanis ſcimus & pluribus oſtendit Joannes Fileſacus in Tract. de Epiſcoporum Autoritate cap. 10. §. 5. Neque abſonum eſt ut etiam tempore Nicæni Concilii morem illum obtinuiſſe credamus, cum Meletiani, Ariani, alii diverſæ invicem perſuaſionis adeò ſcaterent. Quocirca ratio ſuperiùs dicta neminem deterrere debet quo minùs, ſi nil obeſſet aliud, fidem habeat heic Numero Eutychiano. Etenim cum & alii id aſſerant, & Eutychius Alexandrinus ipſe Patriarcha, & Orthodoxus

& Hæreſi Arianæ hoſtis infenſiſſimus, necnon rerum veterum, maximè Eccleſiæ ſuæ, indagator fuerit diligentiſſimus, abſonum ſanè non eſt credere eum de Synodo Nicæna cujus Primaria etiam ferme ſola Alexandriæ nata eſt cauſa, ſive ex Eccleſiæ ſuæ archivis, ſive ex aliis Orientis quæ temporis injuria nobis invidit monimentis, tum cognoviſſe nonnulla quæ Græci, qui ad nos pervenerunt prætermiſere, tum vera de eis narrâſſe. Atque Acta Synodi illius ipſa, unde hæc dignoſci certiùs potuiſſent, ante ſecula abhinc multa, puto periere. Certè tantam in orbe terrarum tunc temporis Epiſcoporum ſegetem mirari forſan deſinet, quiſquis crediderit quod de B. Patricio Hibernenſi Antoninus & Vincentius tradunt; eum ſcilicet ſolum Eccleſias fundâſſe CCCLXV totidemque Epiſcopos ordinâſſe, præter Presbyterorum tria millia. Qua de re conſulas plura apud præſtantiſſimum virum Jacobum Uſſerium Archiepiſcopum Armachanum in Brittannicarum Eccleſiarum Antiquitatibus pag. 950.

*De Nominibus Patrum 318 Nicænorum.*

Ut verò de Numero, ſic & de Nominibus Epiſcoporum ac Patrum Nicænæ Synodo ſubſcriptis ſolliciti ſunt qui Origines ſcrutantur Eccleſiaſticas. Epiphanii ævo extabant (ut ait ipſe Hæreſi *69.*) nomina Epiſcoporum ſeu Patrum illorum 318 quæ viderat aut in libro illo Athanaſii Synodico quem ſupra è Socrate citavimus, aut in actis aliis Synodi ejuſdem, ſive ab Alexandro Patriarcha Byzantino, ſive ab aliis conſcriptis,

ſcriptis, quæ nobis invidit aut temporis aut Hæreticorum injuria. Concilia edita habent quidem non pauca in ſubſcriptionibus Patrum Nomina (in quibus etiam Chorepiſcopi complures ac Presbyteri aliquot) ſed ſatis depravata, nec quæ numerum Trecentorum Octodecim aut explent aut propiùs omnino accedunt. Neque enim ducentos triginta attingunt, ſive in ſubſcriptionibus Concilio ipſi olim adjectis, ſive in eis quas Alphonſus Piſanus ex Vaticano Codice emendatas auctaſque exhibere ſe dicit. Certè Numerus in ſubſcriptionibus editionis Crabbianæ, quam ſatis ſequitur Piſaniana, Biniana, & Romana, 224. non excedit, utcunque literæ quæ adjiciuntur in Crabbiana Numerales, 232. primò intuenti falsò oſtendunt. Numerum ſcilicet ipſum quem ſupra notavimus ex vetuſto Scriptore nondum typis edito, qui 232. Epiſcopos interfuiſſe, uti & Dorotheus Monembaſienſis, expreſſim ſcribit, & reſiduos ſeu 86. dignitatis inferioris ſeu Presbyteros & Monachos facit. Subſcriptiones hujus Concilii Græcas nullibi in editis habemus, niſi excipi velis pauculas apud Gelaſium Cyzicenum lib. 2. cap. 27. Nam & Græcum quod Romæ prodiit Latinas duntaxat idque juxta Crabbianum habet. Et Petrus Crabbus ait ſe exemplaribus uſum vetustis quatuor, ſed tum depravatiſſimis, tum invicem mirum in modum diſſidentibus. Præfigitur plerunque Subſcriptionibus quæ reſtant, *Subſcripſerunt trecenti decem & octo Epiſcopi qui in eodem*

dem

*dem Concilio convenerunt*. Fertur autem, inquit Alphonſus Piſanus, in Manuſcripto Codice integrum ſubſcribentium numerum haberi apud Sambucum Pannonium Viennæ Auſtriæ. Quo dum caremus, non ingratum curioſioribus forſan erit, Subſcriptiones Arabicas, ab eis quæ vulgò leguntur plurimùm, ſive Ordinem ſpectes ſive Nomina, diſcrepantes, ſed Numerum intereà ipſum Trecentorum Octodecim (qui tamen univerſi nec ſunt Epiſcopi) explentes, ſubtexere. Ex Joſepho nimirùm Ægyptio qui Bibliothecæ Oxonienſis Publicæ Codex eſt Ms. cujus ſupra meminimus. Deſcripſit mihi vir, quem honoris cauſa etiam ante nominavi, eximius, Edwardus Pocockius. Occurrunt ſanè in illis quæ captum noſtrum ſuperent non pauca. Nonnulla quidem quæ nec benè legi poſſunt, utpote punctis diacriticis carentia. Modum ac Ordinem Subſcriptiones iſtæ præ ſe ferunt in Codice illo ejuſmodi, ut Nomina Perſonarum minio, locorum atramento exarentur. Agmen ducit Silveſter Epiſcopus Romanus. Neque adeò refragatur quod receptum eſt, nec a vero alienum (tametſi Silveſtri præſentiam ejuſmodi admittas) Silveſtrum neutiquam ipſum interfuiſſe, ſed Victorem & Vincentium Presbyteros, ut Procuratores illuc miſiſſe. Nam dum hi nomine aderant Procuratorio, & ipſum Silveſtrum ſatis civilitèr adfuiſſe atque in Subſcriptionibus ei locum eſſe debitum eſt forſan, nec immeritò, exiſtimatum. Nam itidem Scriptor ille vetuſtus quem ante

citavimus, ut ejuſdem cum Synodo Chalcedonenſi ævi, nondum typis editus, poſt verba ſuperiùs deſcripta de Patrum Nicænorum Numero, ὧν ἐν μέσῳ, inquit, ἐπισημότεροι ἦσαν οὗτοι, Σίλβεστρος καὶ Ἰούλιος οἱ τῆς παλαιᾶς Ῥώμης πρόεδροι· αὐτῶν μὲν οὐδ' ἕτερος παραγεγονὼς Βίκτωρα δὲ καὶ Βικέντιον, ἑκάτερος ἀνθ' ἑαυτοῦ κατὰ τὸν οἰκεῖον τῆς ἀρχιερωσύνης χρόνον τῇ κοινῇ παρεῖναι συνελεύσει προβαλλόμενοι, ἄνδρας συνετοὺς καὶ ἱερεῖς. *Quorum illuſtriores fuere Silveſter & Iulius Veteris Romæ Antiſtites. Cum verò eorum neuter adeſſet ipſe, ſubſtituit uterque pro ſe & juxtà Pontificatus ſui diſcrimen, Victorem & Vincentium, viros ſcientiâ præclaros & Sacerdotes*, qui publico illi conventui intereſſent. Unde etiam expreſſim Dorotheus Monembaſienſis ait Silveſtrum Papam Romanum interfuiſſe. Ceterùm qua ratione ad Julii Papæ tempora Synodus hæc attineat non ſatis intelligo. Etenim in Pontificatum, juxta recipiendam Chronologiam, evectus Julius anno Chriſti vulgari 337, ſeu poſt exceſſum Conſtantini, id eſt, ſub novennium à Synodo finita. Verum & alii tantundem de Julio memorant. Sic Sozomenus lib. 1. cap. 16. & Hiſt. Tripartit. lib. 2. cap. 1. Atque Germanus Patriarcha Byzantinus ſupra memoratus in libro Ms. de Synodis, Παρῆν, inquit, ἐκεῖσε Ἰούλιος Ῥώμης, *Aderat ibi Iulius Romæ Antiſtes* inter alios. Et in editionibus aliquot Hermanni Contracti Julius etiam eſt tempore illius Concilii Papa Romanus, licet in aliis Silveſtri ſolùm nomen retineatur. Similitèr de Julio loquuntur alii, veluti Autor Annalium incertus à Petro

Stuartio editus, & Hugo Floriacenſis in Chronico. Quin verò in Subſcriptionibus, quas daturi ſumus Arabicis, habentur etiam numeris 39. & 40. ipſi Victor & Vincentius, ut trecentorum octodecim pars. Titulus ac Formula Subſcriptionum illarum (quarum Verſionem, quoties potuimus, adjecimus; uti & Numeros, qui non nominibus ſingulis ſed diſtinctionibus Scripturæ Codicis Ms. tantùm reſpondent) hujuſmodi eſt. Ubi nomina planè neſcimus, aſteriſcos adjunximus.

هذه اسما الابا
الاقدسين الثلثمايه
وثمانيه عشر الذين
اجتمعوا بمدينه
نيقيه في مجلس
قسطنطين الملك
المومن الذي اظهر
الدين بن هلانه
الطاهره الرهاويه
المنصور من الله
تعالي حقي

*Hæc ſunt Nomina Patrum Sanctorum Trecentorum Octodecim qui congregati ſunt in Vrbe Nicæna, in Prætorio Conſtantini Imperatoris Auguſti & Fidelis, qui profeſſus eſt Religionem Chriſtianam, (Filius Sanctæ Helenæ * Rheavienſis, à Deo O. M. adjutus)*

juxt.

اقام الدين الاول منهم سلبسطرس الرومي والاسندرس الاسندراني

*juxta quod ſtatuere de Religione illa Primarii eorum, Silveſter Romanus & Alexander Alexandrinus.*

سلبسطرس الرومي 1 *Silveſter Romanus.*

والاسكندرس الاسكندراني 2 *Et Alexander Alexandrinus.*

والاسكندرس القسطنطيني 3 *Et Alexander Conſtantinopolitanus.*

واكيطونيوس الانطاكي 4 *Et Achitonius Antiochenuss.*

وماكاريوس اسقف بيت المقدس 5 *Et Macarius Epiſcopus Hieroſolymitanus.*

ومينوفوطوس من افاصص 6 *Et Menuphotus* (Menophantus) *Epheſius.* Legendum igitur مينوفنطوس

وبفنوثيوس القبطي 7 *Et Paphnutius Ægyptius.*

واغابيوس السلوكي 8 *Et Agapius* (Agapetus) *Seleucienſis.*

 وفيلبس

| | | |
|---|---|---|
| وفيلبس البابداكسوا | 9 | *Et Philippus* * *Babaxenſis.* |
| اندراوس السامري | 10 | *Andræas Sarianus.* |
| واغاثيس الاماني | 11 | *Et Agathias Æmenenſis.* |
| ابياس الاسبيناني | 12 | *Abias Aſſendius.* |
| ابرون الاكسوطا | 13 | *Abron Axiates.* |
| ديوسكورس الانباوا | 14 | *Dioſcurus Ambenſis.* |
| لاسيس البارونيكوس | 15 | *Laſis Berenicius.* |
| بطرس الاركلياس | 16 | *Petrus Heracleenſis.* Qui Phædrius vulgo. |
| غاناثوس السبسطي | 17 | *Gennadius Sebaſtenus.* |
| صابيرن الفصامرون | 18 | *Zepherinus Phiſeranus.* |
| بطرس البنكر | 19 | *Petrus Panacrenſis.* |
| بولص ومكسيمينوس الحبرني | 20 | *Paulus & Maximinus Chabareni.* |
| الصوص الدصلون | 21 | *Aeſius Bithynus.* |
| ظاميانوس الباسيس | 22 | *Damianus Beſcienſis.* |
| بطرس الاني | 23 | *Petrus Anienſis.* |
| انطيوخس الاكباطولاس | 24 | *Antiochus Capitoliadis.* |

dis. Legendum igitur ث pro ت.

| | | |
|---|---|---|
| اثيذودورس الطوريلاوس. | 25 | *Athenodorus Dorileus.* |
| اوسيوبيوس الرفذاني | 26 | *Oſiobius Rhaphaneenſis.* |
| فيلوكيانوس المددي | 27 | *Fælicianus* . . . . . . |
| باباريوس الشميساطي | 28 | *Piperius Samoſatenus.* |
| مالاصص الخوري ابسكوبس | 29 | *Meletius chorepiſcopus.* |
| بولص من قيسارية الحديثة | 30 | *Paulus Neocæſarienſis.* |
| حايولون الخوري ابسكوبس | 31 | *Hajulon chorepiſcopus.* |
| ليكنيوس القدالدس | 32 | *Licinius Cabalites.* |
| انثيوخس الديصانيوس | 33 | *Antiochus Dittanienſis.* |
| الاانيكرس الطرابلس . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . | 34 | *Hellanicus Tripolitanus*, qui in vulgatis habetur. Lege igitur و pro ر |
| ابابلوليوس الواسطي | 35 | *Ababelulius Vaſatenſis.* |

 فيلوكالوس

فيلوركالوس الابارفصن 36 *Philoſcelus * Abarpitanus.*

فينونورس الابيراصن 37 *Phenodorus * Abiratenus.*

يوحنا الفارسي 38 *Ioannes Perſa.*

فيطن قس رومية 39 *Vito Presbyter Romanus.* Hic alias dicitur Victor, ſeu بقطر Vincentii collega.

وفيكنتيوس قس من رومية ايضا . 40 *Et Vincentius Preſbyter etiam Româ miſſus.*

اوسيوس الكبرنوديس 41 *Oſius Cordubenſis* proculdubio. Legendum igitur الكورنوديس.

بغاسيوس الارياكاطا 42 *Pegaſius Ariacatanus.*

لوكينوس الفالون 43 *Lucinius Phalonita.*

كردابابانوس 44 . . . . . . . . . . .

الدكيانونواص . . . . . . . . . . .

صاكي الماكاطونيوس 45 *Dacus Macedoniæ.*

اوسيبوس الطورطوطن 46 *Euſebius Turtutanus* ثرونيوس

| | |
|---|---|
| ثرونيوس الطارس | 47 *Thronius Taraſſenſis* |
| كلونيكوس البطالياس | 48 *Cleonicus Petalienſis.* |
| الاسكندرس الثاصلونيكي | 49 *Alexander Theſſalonicenſis.* |
| ثاوياس الادياس | 50 *Thavias Edeſſenus.* |
| انطونيوس الابنون | 51 *Antonius * Abnon.* |
| ماركلس الاساون | 52 *Marcellus * Aſuaon.* |
| نسطوس النبون | 53 *Neſtus * Nebon.* |
| ارتامس السرديقي | 54 *Arthemas Sardicenſis.* |
| اندراوس الخوري ابسكوبس | 55 *Andreas Chorepiſcopus.* |
| الفنون الانيفانياس | 56 *Elphænon * Aniphanias.* |
| باراكسيوس الارنيص | 57 *Paraxius Arniſſenſis.* |
| نيكيطا البوطاطس | 58 *Nicetas Budiates.* |
| موسي الكسطلاس | 59 *Moſes Caſtabalenus.* |
| الاص الاكيلونيوبولس | 60 *Ælius Claudiopolitanus.* |
| سيلوبون المطرودواص | 61 *Silvanus Metropolitanus.* |

انطونيوس

انطونيوس الانطاكي — 62 *Antonius Antiochenus.*

افرودسيوس المتضون — 63 *Aphrodiſius Matthanenſis.*

افرسيوس الخوري ابسكوبس — 64 *Euphraſius Chorepiſcopus.*

الطاموس الخوري ابسكوبس — 65 *Elidamas Chorepiſcopus.*

روصن الخوري ابسكوبس — 66 *Rhodon Chorepiſcopus.*

الرودروس الاركواس — 67 *Alirodorus * Arguſenſis.*

روتيموس الخوري ابسكوبس — 68 *Rhothymus Chorepiſcapus.*

فوتووادوس الصويبصرصون — 69 *Phytoæus * Tybatartenus.*

ارالس السبسطي — 70 *Aurelius Sebaſtenus.*

سيلوانوس الافطوطو — 71 *Silvanus Aphtitenus.*

ايايوارس الطاهونيطن — 72 *Æeoras * Tagannitenſis.*

بولص المكسيمونوبولس — 73 *Paulus Maximinopolitanus.*

بطروفودس

| | | |
|---|---|---|
| بطروفوس | 74 | *Patrophanes* fortè *Axiopolitanus.* |
| الاكسيبوبولاس | | |
| مارينوس الفاينكس | 75 | *Marinus* fortè *Phœnicius.* |
| بغنس الدمشقي | 76 | *Phanes Damaſcenus.* |
| ثاودرس الصيداني | 77 | *Theodorus Sidonius.* |
| اسطافانوس الكوزيكا | 78 | *Stephanus Cyzicenus.* |
| افسطاسيوس الدرياسوا | 79 | *Euſtathius* . . . . . |
| نسطر الاسوانون | 80 | *Neſtor Suodonenſis.* |
| ثاورس الواصوني | 81 | *Theoras Vadenſis.* |
| بولص الاراضي | 82 | *Paulus Aradenſis.* |
| كيرللس الوافاديضوس | 83 | *Cyrillus* . . . . . . |
| امونيوس الافروديكياس | 84 | *Ammonius Aphrodiſienſis.* |
| ايوجناديوس الابولوبيا | 85 | *Eugennadius* * *Abulobienſis.* |
| لبطورس الكسرلطو | 86 | *Leptoris Chaſirates.* |
| افسابيوس الماليطوابولص | 87 | *Euſebius Miletopolitanus.* Miletius fortè in Vulgatis. |
| بولينوس الاصابون | 88 | *Paulinus* * *Atabon.* |



ماكاوديوس

ماكدونيوس الموسيكاون 89 *Macedonius Muzucenſis.*

مانيكيوس الابيفانيوس 90 *Menichius Epiphanienſis.*

منحوس الغيغرن 91 *Mancus * Gegirenſis.*

مارن المرماثون 92 *Maran * Miſmathon.*

روكيسيوس البلكاوي 93 *Rochiſius * Belgidenſis.*

ساورينن الردودسطاوس 94 *Severinus* . . . . .

مندسن البياطون 95 *Mendeſius * Biatianus.*

اكرينس العذلانلستاس 96 *Acharinus* . . . .

حادادوس الوسهسطس 97 *Gennadius * Vaſiſtenſis.*

سابيرون الصوصوماون 98 *Saviro* ſeu *Severinus * Tutomaon.*

ضوريطس الداناون 99 *Zurites* . . . . . .

ثاوطولوس الاذقي 100 *Theodulus Adachenus*

زوسيماس الغاطاطن 101 *Zoſimus * Getatenſis.*

اسكراطس العلرطي 102 *Socrates * Ælartenſis.*

ادلفيوس مكريذوا 103 *Adelphius Macrianenſis.*

ابيفانيوس

ابيفانيوس وابولليناريوس الرفباني 104 *Epiphanius & Apollinarius*, * *Rhaphabanenſes*. Fortè legendum الرفناني *Raphaneenſes*, ut nomine 26.

اسطاثيوس الاريوسيس 105 *Euſtathius* * *Arioſenſis*.

سركيوس البيرو 106 *Sergius Berenſis*.

انفيلوس الرهاوي 107 *Enphilus Rheavienſis*.

كركليانوس القرطاجني 108 *Cæcilianus Carthaginienſis*. Nam legendũ كاكليانوس Videſis Chriſtophorum Juſtellum in Notis ad Codicem Eccleſiæ Africanæ, pag. 12.

الاسكندرس التاسالونيكي 109 *Alexander Theſſalonicenſis*.

طاكوس التوطاياوس 110 *Tagus Thytienſis*.

دكليوس الاسيربون 111 *Decelius Serbinenſis*.

نسطرس الاسكون 112 *Neſtorius* * *Aſchonius*.

فاراكس

فاربكس الاتيباس 113 *Ferax Edebeſſius.*

أسطرودوس المغاسيماس 114 *Aſtropus* . . . . . .

مياولس المصرودما 115 * *Miaulus* . . . . .

فاسنوس الباداونيسبس 116 * *Facinus Babaunisbas.*

اوسابيوس الناودكيلس 117 *Euſebius* . . . . . .

ايسيوس المسص 118 *Ætius* * *Meſadenſis.*

داراكسيس وارني 119 *Paraxius Varanenſis,*

وبولاوس وباسيانوس & *Paulus* & *Baſi-*

الخوري ابسكوبس *anus Chorepiſcopi.*

كيرلس اليقوصي 120 *Chærilus Icoſienſis.*

حالاسيوس الصالامنيس 121 *Gelaſius Salamini-us.* Lege igitur الصالامنيس

اكيلاس الخوري ابسكبوس 122 *Aquilas Chorepiſco-pus.*

تيموثاوس البيروسيس 123 *Timotheus Bereſenſis.*

داربنس الخلكيدوني 124 Fortè *Marinus* (م pro د ſubſtituto) *Chalcedonenſis.* Et vide numer. 188.

كيرللس

كيرلس الكبروا 125 *Cyrillus Chabrenſis.*

افتيسيوس الغامي 126 *Eutychius Pamienſis.*

غروغريوس الابولوسوا 127 *Gregorius Abulenſis.*

ابينوس الخوري ابسكوبس 128 *Abinus Chorepiſcopus.*

مانياس الخوري ابسكوبس 129 *Maneas Chorepiſcopus.*

طراغودناطس البيرونوا 130 *Tragodenatus Beronenſis.*

اولاليوس الخوري ابسكوبس 131 *Eulalius Chorepiſcopus.*

ثاوفيلوس الزبلي 132 *Theophilus* * *Zebelenſis.*

داكيوس الباسيانوس 133 *Dacius Baſianenſis.*

ميغاسيوس السرديقي 134 *Megaſius Sardicenſis.*

خريطونس الذي تفسيره بالهيكل 135 * *Chritonus à Templo denominatus.*

زوكسينوس الاسكندري 136 *Zeuxinus Alexandrinus.*



اطامانطس

اطامانطس 137 *Adamantus* * *Cinobiarius.*
الكينوبيار دوس

الطافاوس وغانوس 138 *Eldaſius* & *Canus* . .
الرومي *Romani.*

يوطامس البرصن 139 *Iotames Berytius.*

ضورياذس البالاثاوس 140 *Syrianus Ballathenſis.*

اليبيوس المانوس 141 *Alypius Maneſtenſis.*

فيلبس السيرياذوس 142 *Philippus Syrienenſis.*

اثناسيوس العارايرس 143 *Athanaſius* . . . .

ابيالوس الطاطون 144 *Abialus Tatuenſis.*

يعقوب النسات 145 *Iacobus* . . . . .

حارانوس النابلسي 146 *Caranus Nabalenſis.*

تيطس البارانينوا 147 *Titus Baratthenus.*

كليرودينانوس 148 *Clerodianus* * *Baſaſalienſis.*
البساصاليوس

طيمن البانوبنوا 149 *Timon Banubenſis.*

افلاسيوس الطايثاس 150 *Aphlaſius* * *Taitbenſis*

ثاوفيلس الغنثوبوليس 151 *Theophilus* * *Genetopolitanus.*

كاسيديوس

كاسيميوس 152 *Chaſimius* * *Biroaſ-chenſis.*
البيرواسكيس

اكوصابولاس 153 *Achytabulas* * *Chaſ-purenſis.*
الكسغورو

سركيوس البلمسي 154 *Sergius* * *Palmiſenſis.*

كيريكس 155 *Cyriacus* * *Abarimni-tenſis.*
الابريمنيطس

ثاودورس الطرسوسي 156 *Theodorus Tarſenſis.*

اليليبطن الاغوكونو 157 * *Eliniptan Ægogo-neſius.*

دوروثاوس الثالوسبر 158 *Dorotheus* * *Talusba-renſis.*

ابيناريوس الافتيشيس 159 *Avenarius Eutychia-nus.*

ثيرانوس الاسنبو 160 *Tiranus* * *Eſnebenſis.*

بلوسيادوس البكر 161 * *Peluſianus Bacha-renſis.*

بيرس الارسطوبولوس 162 *Pirus* * *Ariſtobulen-ſis.*

دوماتيانوس البيسن 163 *Domitianus Piſanus.*

اسيلن الحوصن 164 *Aſilon* * *Hydenſis.*

سرابيون الاثمنو 165 *Serapion* * *Atſmienſis.*

روماندوس

رومانوس الطيشينوس 166 *Romanus Ticinenſis.*

اسابيوس القسطنطيني 167 *Euſebius Conſtantinopolitanus.*

الارنحيتوس العسقلاني 168 *Arnechinus Aſcalonita.*

مكرينوس البامادیوس 169 *Macrinus* . . . . .

البطونورس الرابولوي 170 *Pythodorus* * *Rabulienſis.*

باباداوس الاكصون 171 *Papadeus* * *Achitonienſis.*

اسكيلينس النعري 172 *Eſquilinus Ærienſis.*

بروكوبيوس السيباضن 173 *Procopius Sibidenſis.*

فلكيوس المنبجي 174 *Felicius* * *Membachius.*

زينوثيوس السلغكي 175 *Zenothius* (fortè Zenobius, adeò ut pro ث د ſit ſubſtituendum) *Seleucienſis.*

صالاولوس الجرمانيكياس 176 *Salaolus Germanicianus.* Fortè legendum صالامونوس *Salomonus*, ut in editis.

ارشيبالاوس الطوقسيس 177 *Arſibalaus Tocaſius.*

ياصواليس

وبغماطس ياصوالير 178 * *Iaſoalir, & Pegmatus, & Seleucus Horenſes.*
وسالغكوس الجوري

اجاضوس حوري 179 *Agathus Chorepiſcopus.*
ابسكودس

بطرس الخيطارن 180 *Petrus Cytheræus.*

ثاوصوصص الغايولويا 181 *Theutotates * Caioluenſis.*

ساسيروس اسدومي 182 *Saſerus * Eſdomenſis.*

ابياس القنوفي 183 *Abias Canopenſis.*

اناطوليوس الاميسيض 184 *Anatolius Ameſenſis.*

بالاخوس التلحويس 185 *Balachus * Telhuiſenſis.*

مارلاوس البلسايس 186 *Merlaus Pelecenſis.*

زينون البترو 187 *Zeno Patarenſis.*

كيرون والياكوا 188 *Chiron * Valiachius & Marius Chalcedonenſis.*
ومايوس
الخلكيدوني

اياعيدوس النيقي 189 *Eugenius Nicænus.*

اسابيوس النيكوميدي 190 *Euſebius Nicomedienſis.*

موسي الكاسيادولون 191 *Moſes* (fortè) *Cathelaunenſis.*

يعقب العامي 192 *Iacobus* (fortè) *Pamænſis.*

دولص خوري ادسكوبس 193 *Paulus Chorepiſcopus.*

بايسيسوس الاسكندراني 194 *Bauhicus Alexandrinus.*

اودمون الاجاينس 195 *Eudæmon* * *Achænienſis.*

لايوس القيسراني 196 *Laius Cæſarienſis.*

ضوميس الطاياروا 197 *Tzomis* * *Tærenſis.*

مركلس الانكارن 198 *Marcellus Ancyranus.*

افتيسيوس المغادون 199 *Eutychius* . . . . .

ثيموثاوس الكياساون 200 *Timotheus* (an) *Chius?*

ميناس الكيكوسياس 201 *Menas* * *Chichoſius.*

ابولاليوس السبسطي 202 *Apolalius Sebaſtenus.*

ثيموثاوس الكيلوسيلس 203 *Timotheus* * *Cheloſienſis.*

الكيبسطن الافكاريوس 204 * *Elchibaſten Aphaarienſis.*

كولوديوس

كولونيوس وروكسون القيسراني 205 *Colonius & Roxanes Cæſarienſis.*

بروكوبيوس الميلاسي 206 *Procopius Meleſenſis.*

انابصون البواسيوس 207 *Ambaſon* * *Boatius.*

بوليكربس الباروبوليس 208 *Polycarpus* * *Baropolitanus.*

انتيضورون الارداون 209 * *Anthidoron Ardæenſis.*

رومانوس السلفكي 210 *Romanus Seleucienſis.*

بترخيوس المكسيميانوبوليس 211 *Batrachius Maximianopolitanus.*

انتيضورن واغثوجانوس 212 *Anthidoron & Agathogenus.*

فلافينوس الاكيرس 213 *Philippinus Ancyranus.*

انيخس الابولينابوبوليس 214 *Anichas Apollonopolitanus.* Adeoque pro ب ſecundo legendum د.

اسيسيوس خوري ابسكوبس 215 *Atychius Chorepiſcopus.*

 انطونيوس

انطونيوس البار بلس 216 *Antonius Barbaleſius.*

ابراميوس الماكاصوني 217 *Abramius Macedo.*

اكيلوس الزبلون 218 *Aquilius Zabuloni-ta.*

امفيلوس الطاينون 219 *Amphilus Tænita.*

اريسياوس الديوسبونوا 220 *Eriſius* * *Diusboden-ſis.*

ايريكيلوس الايصون 221 *Heraclius Ætenſis.*

لوبروكس من قيسارية الجديدة 222 *Lupercus Neocæſari-enſis.*

ارافيسيوس الكولونيوس 223 *Eraphyſius Coloni-enſis.*

اميروسيوس المكروس 224 *Ameroſius Macrenſis.*

اصطراطوفيلس البينولوطن 225 *Ateratophilus* * *Bino-lutenſis.*

اوسيناس الباسياس 226 *Euſianus* * *Baſianen-ſis.*

اوطسيوس الماسياس 227 *Eutychius* * *Maſien-ſis.*

ارساكيون الاكريس 228 *Arſacion Acbriſienſis.*

اونيبيون الابطالون 229 *Eunibion Abtalienſis.*

اولاليوس

اولاليوس السبطياس 230 *Eulalius* * *Sabbatienſis.*

انطيوخس الربداصون 231 *Antiochus . . . .*

ارثاسوس السوكاطن 232 *Arthaſus* * *Succhatenſis.*

بوليون البابراوس 233 *Pollio Beroenſis.*

ماليغونوغس الكيرون 234 *Meliphonycus Chironenſis.*

ثيموثاوس الاجالو 235 *Timotheus* * *Achalenſis.*

ارانوفس الكاطابونون 236 *Eranopus* * *Chatabunenſis.*

غرغونيوس الحوري ابسكوبس 237 *Gregonius Chorepiſcopus.*

اونيسيوس الطاراصص 238 *Euniſius* * *Taratenſis.*

اونيسيانوس الحرمسيس 239 *Euniſianus* * *Hermenſis.*

بطوليس البرسميس 240 *Bætulius Barſamenſis.*

غاليانوس الحوري ابسكوبس 241 *Ælianus Chorepiſcopus.*

اونيبيوس الادريانوبوليس 242 *Eunibius Adrianopolitanus.*

خرونيوس الطاراطوس 243 *Chronius Taratenſis.*

غرغونيوس الانولوبياطس 244 *Gregonius * Anulobiatenſis.*

انطونيوس من قيسارية الحديدة 245 *Antonius Neocæſarienſis.*

ثاوفانس الابيفانيوس 246 *Theophanes Epiphaneenſis.*

اولاليوس الفامي 247 *Eulalius Pameenſis.*

يونان الكريكون 248 *Ionas Cyricienſis.*

ارنون الباليوبولس 249 *Arnon Palæopolitanus*

اوتيشيوس الارمني 250 *Eutychius Armenus.*

اونيسيانوس البرغامون 251 *Euniſianus * Bergemenſis.*

بولس البالس 252 *Paulus * Baſenſis.*

اوغريونس الدوضاون 253 *Evagrianus * Dotſanenſis.*

بنيفاس الفابيرون 254 *Bonifacius Fabrenſis.*

داسيوس الادلفياصيس 255 *Paſius * Adelphiates.*

طراسكيوس الفامي 256 *Taraſcius Pameenſis.*

اورانيوس المادون 257 *Auranius . . . . .*

اوسيوس السلفكي 258 *Oſius Seleucienſis.*

السيبيسوس النابلسي 259 *Alcibitius Nablæenſis*

ديلاموخس

بيلاموخس 260 *Belamochus Adrianopolitanus.*
الادريانوبوليس

اولاليوس القوي 261 *Eulalius Cous.*

بولس الفامي 262 *Paulus Pameenſis.*

فيلادلفوس البوبولس 263 *Philadelphus Populenſis.*

بطرونيوس البيوبوليس 264 *Patronius Biopolitanus.*

صوه نميس 265 Fortè legendum
الاطروبازيطس ضومنيس
الاطروبازنطس
*Domnus Trapezuntius*, qui in editis.

بطراطرفيلس 266 *Petratrapelus * Chaſabobotſius.*
الكسبوبوثي

اونيسيوس الاماستريدس 267 *Oniſius * Ameſtridenſis.*

كيراياريوس 268 *Chiræricus * Aſnotenus.*
الاسنوصوا

اريجينوس الغصماون 269 *Erigenes * Gatamenſis.*

غرغاييوس

غرغاييوس الكينون 270 *Gregæus* * *Chianenſis.*

فيلادليس البنطي 271 *Philadeles Bantenſis.*

ابيانوس الغانغرون 272 *Abianus Gangrenſis.* . .

الماثينون الداردن 273 * *Mathænon* . . . .

اكدميوس البانون 274 *Academius* . . . .

اكلامسن الماسكي 275 * *Ecklamaſon Maſkenſis.*

رفكيسيوس السميس 276 *Raphchiſius* . . . .

كيسانوس السلغكي 277 *Chiſanus Seleucienſis.*

بروسكيانوس الخوري ابسكوبس 278 *Proxianus Chorepiſcopus.*

دونايسوس الخوري ابسكوبس 279 . . . *iſus Chorepiſcopus.*

ساميرلاسن الابوبلينابوبولس 280 *Samirleſanus* * *Abupollinapolitanus.*

فلكس الطاباوا 281 *Fœlix* * *Tabyenſis.*

فيسيكون الاديادون 282 *Physcon Adia* . . . .

افجانيوس الانكريباس 283 *Eugenius* * *Ancrbibenſis.*

افروسيوس

الرودسي افروسيدوس 284 *Aphroſius Rhodeſius.*

اليلمطونرس 285 *Heliodorus* (fortè)

الكهارس *Char....*

الباراطون اسطافانوس 286 *Stephanus Baraten-ſis.*

الكورنين انيماوس 287 *Æneas* (fortè) *Chor-nenſis.*

واثناثاسيوس فابيانوس 288 *Fabianus & Atha-naſius* (fortè) *A-*

الاكرنياس *charnenſes.*

السلفكي انطونيوس 289 *Antonius Seleucienſis.*

الوارسدين خوروبوس 290 *Chorœbus * Varaſien-ſis.*

الابرودانوا بوطانيوس 291 *Botanius Abro....*

ساكونوصويس 292 *Saconotius Acropoli-*

الاكروبوليس *tanus.*

السيوبي ذوروثاوس 293 *Dorotheus * Siopenſis*

السمساى اوراسيوس 294 *Auraſius * Semeſenſis*

البار اخويس كلليكس 295 *Callæçus * Barache-ſius.*

البطارون اوديموس 296 *Eudemus Patarenus.*

الراصالون ثاودورس 297 *Theodorus Rațalenſis.*

البار اوس براكيطس 298 *Procbytas Beroenſis.*

 كلاوديلوس

| | | |
|---|---|---|
| كلاوديلوس اليدمويس | 299 | *Cleobulus* . . . . . |
| اياسوبصن القيصراني | 300 | * *Æaſymton Cæſarienſis.* |
| انطونيوس الكولاسارف | 301 | *Antonius* * *Chulaſarphenſis.* |
| مكرونيوس الكيلادون | 302 | *Macaronius Chil*. . . |
| البيدلوس البيانون | 303 | *Bidelus Bianenſis.* |
| كيرلكوس الباسو . | 304 | *Cyriacus Baſenſis,* |
| نيكولاوس الميرون | 305 | *Nicolaus Meridenſis.* |
| اغريغوريوس من ارمينيه الكبري | 306 | *Gregorius ex Armenia majori.* |
| اونيسيانوس. الادريانوبوليس . | 307 | *Oneſianus Adrianopolitanus.* |

| | |
|---|---|
| كملت اسما الابا | *Abſolvuntur nomina Pa-* |
| القديسون الثلثمايه | *trum Sanctorum Trecen-* |
| وثمانيه عشر الذين | *torum Octodecim qui con-* |
| اجتمعوا بمدينه نيقيه | *gregati ſunt in Vrbe Ni-* |
| في زمن قسطنطين | *cæna, tempore Conſtantini* |
| الملك والمجد الثالوث | *Imperatoris. Gloria ſit* |
| القدوس امين | *Sanctæ Trinitati, Amen.* |

Ita

Ita Codex ille Oxonienſis, Joſephi Ægyptii, qui in Ægypto floruit ibique ſcripſit ſub annum Hegiræ 790, id eſt Chriſti 1400; atque ex actis Concilii, ut ait ipſe, quæ tunc extabant, licet nullibi jam ea comperiamus Occidentales, hæc uti alia tranſtulit. In Nomine autem 4, proculdubiò legendum افسطاثيوس *Euſtathius*, non اكيطونيوس *Achitonius*, quâ de re vide Numerum heic 17. Quod verò in Nomine 135 habetur, in Arabico quidem verbatim ſic ſonat, *cujus interpretatio eſt in Templo*. Sed fateor, quid ſibi velint verba illa, me conjecturâ ſatis aſſequi nequire. Jam vero tametſi tum in fronte ſuperioris Catologi tum in calce Numerus 318 memoratur, ipſius nihilominùs quam exhibuimus recenſionis maximus numerus eſt 307. Ceterùm ſi ex patribus illis, in numeris 20, 104, 138, 188, 205, 212 & 288 collocatis, ſingulos, id eſt ſeptem, & è trinis illis in numero 119 duos, totidemque, ex eis qui numerum occupant 178, ſumas, ad amuſſim conflabitur numerus integer Trecentorum Octodecim. Sed Patrum, non verò Epiſcoporum; quà nomen illud dignitatem innuat diſtinctam. Et Zonaras in Annalibus, eundem memorat Patrum numerum, ἐν οἷς, inquit, ἦσαν καὶ ἱερεῖς τινὲς καὶ Διάκονοι ἀλλὰ μέντοι καὶ μόναχοι. *in quibus erant & Sacerdotes & Diaconi, atque etiam Monachi.* Quæ ſatis ſunt diſſona eis qui Epiſcopos faciunt univerſos, ut Ruffinus, alii paſſim. Etiam id ſatis negant ſubſcriptio-

nes in editis. Nec quidem Alexander Conſtantinopolitanus, qui numerum ſupra occupat 35 tunc Epiſcopus erat, ſed Metrophanis Patriarchæ Bizantii vices ibi egit; qua de re videſis etiam utriuſque Acta apud Photium Cod. 256. & Nicetam Choniatem in Theſauro Orthodoxæ fidei lib. 5. cap. 6. His adde quod habet Gelaſius lib. 2. cap. 27. & Dorotheus Monembaſienſis in Hiſtorica Synopſi pag. 238 & 239. præter Baronium tom. 3. anno 325. num. 19, & ſequentibus. Quin & ex eodem loco interdum bini, interdum tres, plures etiam, adfuere. Quò puto ſpectat illud, plures eodem tempore Epiſcopos, ejuſdem loci nomine ac dignitate paritèr ſubinde, rationes ob varias, inſignitos in ſeculis illis vetuſtis; qua de re antè monitum eſt. In Chronico item quod Flavio Lucio Dextro tribuitur, interfuit *pro Silveſtro Hoſius Cordubenſis* qui numerum heic occupat 42. Certè in vulgatis agmen ducit ille. Qua de re conſulas Jacobum Valdeſium, de Dignitate Regum Hiſpaniæ cap. 2 §. 8. & ſequentia, præter Joannem Marianam de Rebus Hiſpaniæ lib. 4. cap. 16, Notas Severini Binii ad Concilium Nicænum pag. 291 & 263. & Franciſci Bivarii Commentarium in Dextrum pag. 376. Et advertas illud in Gelaſio Cyziceno lib. 2. ubi Oſius non aliter conjungitur cum Vitone ſeu Victore & Vincentio Presbyteris Romanis, quam ut Alexander Alexandrinus cum Athanaſio Archidiacono ſuo. Si verò credideris Dextro illi, adfuere etiam Epiſcopi Hiſpaniarum, præter Hoſium,

ſum, *Hiſpalenſis & Barcinonenſis, & Natalis Toletanus & alii plurimi ex Bætica & Tarraconenſi Provinciis.* Sed plurima ſunt in eo Chronico quæ Dextri ſeculum (nam is qui obtenditur, Hieronymo coævus eſt) non omninò ſapiunt. Interea autem, ſi quis Patrum qui Synodo Arelatenſi ſub hæc tempora interfuerint, nomina adverterit, vix dubitabit quin tum è Galliis tum ex Hiſpaniis adeſſent etiam Nicææ, quorum in ſubſcriptionibus Nicænæ nullibi mentio. Unde etiam veri eſt perquam ſimilimum haud defuiſſe Patrum Nicænorum cœtui Antiſtitem unum, imò nec plures, è Britannia noſtra. Etenim Concilio Arelatenſi illi primo, anno Chriſti 314, ſeu decennio aut circitèr ante Synodum Nicænam, aut ut volunt aliqui tempore Synodo huic multò proximiore, habito, adſuiſſe liquet ex ſubſcriptionibus non ſemel editis Reſtitutum Epiſcopum, ſeu, ut tunc ſe res habuit, Archiepiſcopum Londinenſem. Neque ea de re dubitatur. In editione Biniana & pleriſque quæ præcedunt Concilii iſtius, ſubſcribit,

*An ex Britannia Epiſcopi ſynodo Nicænæ interſuerint.*

*Ex provincia Britanniæ, civitate Londinen.*
*Reſtitutus Epiſcopus.*

Quod & paſſim obſervant qui res Britanniæ veteres tractant. Et videſis Guil. Camdeni Britanniam pag. 305. In editione autem nuperâ, quam Jacobo Sirmondo debemus, Conciliorum Galliæ, exemplar ejuſdem Concilii ex codice veteri Corbeienſi exhibetur; ubi locis præponuntur, contra quam in ceteris, Epiſcoporum nomina.

nomina. Atque ibi, quantum ad Britanniam, ſubſcriptiones ad hunc ſe habent modum,

*Eborius Epiſcopus de Civitate Eboracenſi, provincia Britannia.*

*Reſtitutus Epiſcopus de Civitate Londinenſi, provincia ſupraſcripta.*

*Adelfius Epiſcopus de Civitate Colonia Londinenſium, exinde Sacerdos Presbyter, Arminius Diaconus.*

Ita ex Britannia præter Reſtitutum Londinenſem, adfuere Arelatenſi Eborius Eboracenſis & Adelfius de Civitate Colonia Londinenſium, ut heic vocatur, cum Presbytero & Diacono. Sed quidnam Civitas Coloniæ Londinenſium? Id planè in topographia Britannica nihil ſignificat. Qualis debeatur codici Corbeienſi fides neſcio. Nec cujuſnam fuerit vetuſtatis hactenùs audivi. Ceterùm ſi recipiendæ ſint ex eo ſubſcriptiones hæ, vix omninò dubitare queo (utcunque aliter alii conjectent) quin Adelfius hic fuerit Epiſcopus Coloniæ Camalodoni ſeu Camaloduni. Nimirùm celeberrima erat olim apud nos, dum Romanum heic viguit imperium, *Colonia Camaloduni*, quæ, cum forſan non integrè exararetur, (veluti *Col.* aut *Colon. Camalodun.* ſeu ut interdum *Camalodon.*) à librariis, quibus *London* & Londini nomen notiſſimum erat, atque interim Coloniæ Camaloduni planè ignorabile, tum ex cognatione ſoni tum ex inſcitia lectionis in *Coloniam London.* ſeu *Londin.* mutata eſt. Tacitus Annal. 12. de rebus agens Britannicis ſub

*Civitas Coloniæ Camuloduni.*

ſub Claudio, *Colonia Camalodunum*, inquit, *valida veteranorum manu deducitur in agros captivos, ſubſidium adverſus rebelles, & imbuendis ſociis ad officia legum.* Loci item nomen erat *Colonia Camalodunum*, uti & loca ſexcenta Coloniæ vocabulo adjecto nomina ſunt ſortita. Tacitus lib. 14. *In Coloniam Camalodunum recens deducti, pellebant domibus, exturbabant agris* &c. Unde & in nummis Claudii habetur ad hunc modum, COL. CAMOLODON.




Idem cenſetur quod Plinio (lib. 2. cap. 75.) Camaldunum dicitur. Dioni etiam libro 60. locus ſic dictus Cunobellini Regis regia eſt, eaque non procul à Thameſi ſita. Atque in ſaxo hoc veteri apud Onuphrium, unde Lipſius & Gruterus idem deſcripſere, memorantur Cives Romani hujus loci qui & ibi dicitur *Colonia Victricenſis quæ in Britannia Camoloduni.*

CN.

CN. MUNATIVS M. F. PAL
AVRELIVS BASSVS
PROC. AVG.

PRAEF. FABR. PRAEF. COH. III.
SAGITTARIOR. PRAEF. COH. II.
ASTVRVM CENSITOR CIVIVM
ROMANORVM COLONIAE VICTRICENSIS
QVAE EST IN BRITANNIA CAMALODVNI
CVRATOR VIAE NOMENTANAE
PATRONVS EIVSDEM MVNICIPI
FLAMEN PERPETVVS DVVMVIRALI
POTESTATE AEDILIS DEDICATOR. IIII.

*Vbinam Colonia Camalo-duni in Britannia ſita.*

Ceterùm ubinam locorum in Britannia ſedes haberet Colonia hæc, olim inter doctos diligentioreſque rerum ejuſmodi indagatores neutiquam convenit. Vide, ſi placet, Ortelium in Theſauro. Res autem ita ſe habuit. Bina fuere, ſi libris editis fides, in Britannia noſtra loca Camulodunii, aut vocis parùmper, ut credi ſolet, ab eo deformatæ, nomine olim nota. In Brigantibus alter, alter in Trinobantibus. In Brigantibus habet Ptolemæus Καμυνλόδυνον, & in Trinobantibus Καμυδόλανον. Manuſcripti Antonini codices uti & editi aliquot pro eo quod eſt in Brigantibus habuere *Cambodunum*, ut monet Zurita, quod & retineri vult Camdenus. In itinere ſcilicet à Vallo ad Portum Rutupas. Sed pro altero in Trinobantibus, ſeu in itinere à Venta

Icenorum

Icenorum Londinium, *Camulodunum.* Sed Camulodunum, in editione Zuritæ, utrobique exaratur. Videſis Lipſium ad Taciti Annal. 12 notâ 75. Hanc Coloniam Camoluduni in Brigantibus, ſeu agro Eboracenſi fuiſſe volunt nonnulli, inde etiam ſuaſi, quod apud Ptolemæum proximè illud præcedit Λεγίων ϛ̄ νικηφόρος, *Legio ſexta Victrix*, quaſi Victricis ibi titulus eum qui in Saxo quod attulimus Coloniæ Camuloduni tribuitur, ſeu Victricenſis, explicuiſſet. Cum manifeſtum ſatis ſit Legionem illam ſextam Victricem ad Eboracum cui ſubjicitur ibi attinere. quod & poſtea retentum in Nummo Severi Imperatoris cujus pars averſa COL. EBORACUM LEG. VI. VICTRIX. vide Camdenum in Britannia pag. 564 & 572. Fnere autem qui etiam in Occidentali Britanniæ parte, Coloniam Camuloduni quærendam voluere, & *Ceſtriam* fecerunt. Alii in Scotia ponunt. Sed in Trinobantibus, adeoque in agro Eſſexiano alii, ut Humfredus Lhuidus, Camdenus, horumque ſequaces. De loco autem, etiam illo in agro, diſſident. Colceſtriam eſſe vult Lhuidus, alii. Atque ita hujus nomen Ptolemæi Camudolano, quod pro Camuloduno ita ſumitur, in Bertiana id eſt optima Ptolemæi editione, juxtà adjicitnr. Sed tandem doctiſſimus ille patriæ ſuæ illuſtrator Guilielmus Camdenus perſuaſiſſimum habuit non aliud fuiſſe Coloniam hanc ab oppido **Maldon** in agro illo, *Maxima* (ut inquit ille pag. 322.) *dictionis parte etiamnum integra & ſuperſtite.*

*Nec hoc ſolummodò expreſſum nominis veſtigium perſuaſit, verum etiam diſtantia à Mona apud Plinium, & ipſe ſitus in antiqua Tabula Itineraria, probationem præſtant vel apertiſſimam.* Sic ille, cui & aſſenſum heic libentiſſime præbet Richardus Vitus (in Hiſtoriæ Britannicæ lib. 4. nota 31 & 36.) aliàs quidem in Camdeni ſententias libentiùs etiam & pluſquam par eſt ſæpiùs inſenſior. Ita Maldonenſibus ſeu Camalodunenſibu veteribus ſuus erat Epiſcopus. In editionibus autem Synodi Arelatenſis anterioribus pleriſque, veluti Suriana ac Crabbiana (quibus male Concilio ſecundo Arelatenſi præfiguntur, uti etiam in Iſidoriana, nomina quæ primam ſpectant) atque etiam Biniana, ſecuti ſunt Reſtitutum Epiſcopum Londinenſem, *Ex provincia Bizacena civit. Tubernicen. Eburius Epiſcopus, Ex eadem provincia, Civitate Culucitanà Adelphius.* quaſi uterque, ſaltem prior, ex Africa fuiſſet. Sed proximè præcedunt Galli; ſequuntur Hiſpani. Et dein ſubjiciuntur per ſe Africani. Adeo ut loca ibi corrupta eſſe vix dubitandum ſit. Nec ſanè adeo difficile eſt, ut ab imperitioribus librariis, *Britannia* fieret *Bizacena*, & ex *Eboracenſi*, *Tubernicenſi*. Etiam & *Culucitana* initium à *Colonia* videtur. Certè ſubſcriptiones Conciliorum depravatiſſimas paſſim habemus. Nec prætereundum, in Iſidoriana collectione illa veteri, cui deeſt omninò Reſtitutus, reperiri *Ex Bitania Eburius Epiſcopus; Ex Civitate culina Adelfius.* Ubi Culina & Bitania

tania, Britanniæ & Coloniæ ſatis proximant. Quemadmodum autem inter Patres Arelatenſes, paulò ante Nicænam Synodum, antiſtites Britannici ſuos habuere, juxta jam dicta, locos, ita & in Sardicenſi illa Generali, uti vocatur, quæ non ita multò poſt, nempe ſub vicennium à Nicæna, celebrata eſt. Nam ubi de Epiſcopis qui illuc convenerant loquitur Athanaſius, qui & ipſe intererat, non ſolum expreſſim ait adfuiſſe aliquos ἐξ ἐπαρχίας Βρεττανίων *è Provincia Britanniarum*, (tametſi in titulo Epiſtolæ Synodi ipſius ad Alexandrinos inter Provincias ibi enumeratas, Britanniæ prætermittantur) verum etiam inter Epiſcopos qui interfuere Ρεστιτοῦτος *Reſtitutus* occurrit ſine loco, ut alii plurimi, adjecto; qui forſan ipſe erat Londinenſis in Synodo Arelatenſi memoratus. Videſis Athanaſium in Apologia 2. tom. 1. pag. 720, 756 & 767, editionis Pariſienſis 1627. Jam verò anne veri cuiquam videtur ſimile, Conciliis binis, altero ita Nicænam paulò præcedenti, ut altero non ita diu poſt inſequenti, interfuiſſe Epiſcopos è Britannia, nec tamen in celeberrima illa Nicæna ita intermedia, eos locum habuiſſe ullum; utpote ad quam univerſi per Orbem Chriſtianum Epiſcopi edicto Cæſareo vocabantur? Sed verò obſervandum intereà non ſolùm plures multò in Arabica hac recenſione haberi quam in Vulgatis Conciliis, ſed & paucos ſanè, ex eis qui in vulgatis, heic reperiri. Etiam deeſſe in Arabicis aliquot Orthodoxorum nomina, quos interfuiſſe

teſtantur tam hiſtorici quam ſubſcriptiones vulgatæ. Adeoque, ſive Numerum, ſive Nomina ſpectes, res eſt planè in incerto. Etiam Græculis aliquot (veluti Nicephoro Calliſto lib. 2. cap. 23. & Dorotheo Monembaſienſi loco antè citato) binos Epiſcopos, Chryſanthum & Muſonium mortuos ſubſcripſiſſe creditur. Commentum ſatis ridiculum. De numero autem, atque eis qui diſſenſerunt, vide plura apud Nicetam Choñiatem in Theſauro Orthodoxæ Fidei lib. 5. cap. 5, 6 & 7. Locorum quidem nomina, Arabice, ſed non raro ſine punctis diacriticis in MS. Oxonienſi exarata, non pauca nobis, ut ante planè inaudita, ſic etiamnum ignota manent. Neque eſt quiſquam literis hiſce non prorſus alienus qui neſciat etiam notiſſima nomina in idiotiſmos Orientales deformata, obſcura nimis ſolere reddi. Etiam & nomina ipſa Ægyptiaca, Africana, alia quæ originis non ſunt Latinæ aut Græcæ, quamplurimùm à nominibus Græcis ac Latinis in uſu, ſæpiùs diſſidere. Verbi gratia Meletius ille inter hæreticos ſeu ſchiſmaticos nominatiſſimus, qui aut erat aut habebatur Epiſcopus Lycenſis ſeu Lycopolitanus in Thebaide Ægypti, dicitur Eutychio noſtro Epiſcopus Aſioti. وكان, inquit ille, علي مدينة اسيوط من عمل مصر اسقف يقول له ميلاطيوس يجري مجري اريوس ولعنه الاسكندروس البطريرك *Et erat Vrbis Aſi-*

*oti, quæ Provinciæ eſt Ægyptiacæ, Epiſcopus, nomine Meletius, quem anathemate feriebat Alexander Patriarcha.* An à vocabulo illo Ægyptiaco *Aſiot*, factum eſt Οασῖται, *Oeaſitæ*, & *Avaſitæ* apud Ptolemæum, Plinium, Oroſium, Æthicum? Unde & Oaſis magna, quæ Oaſitarum Urbs eſt, appellatur Epiſcopatus ibi cujus antiſtes Patricius in Concilio Chalcedonenſi. Sed de Nominibus plura viderint, quorum otium Geographiam curat. Accepi verò, etiam dum heic typos corrigo, Nomina Epiſcoporum & ſubſcriptiones aliquot Græcas, veluti earum reliquias, quæ fuere Concilii toties memorati. Peramicè deſcripſit mihi ex codice MS. Bibliothecæ, quæ Oxoniis eſt publicæ, vir doctrinâ ſingulari eximius Gerardus Langbainius Oxonienſis. Tranſtulit olim in codicem illum Joannes Sambucus ex autographo, rogatu Laurentii Schraderi Halberſtadenſis, cujus ipſe fuit codex. Verba, qualia ſunt, apponam.

## *Nomina reliqua Patrum in Synodo Nicæna ex Charta Niliaca vetuſtiſſima Sambuci deſcripta.*

. . . . . . . . . . . ἐπαρχίας ὁρίσας ὑπέγραψα.

Ἰοῦστινος ἐλέει Θεοῦ ἐπίσκοπος τῆς Τυανέων μητροπόλεως τῆς δευτέρας Καππαδοκίας, ὁρίσας ὑπέγραψα.

Ὀλύμπιος ἐλέει Θεοῦ ἐπίσκοπος Γαγγρεώων μητροπόλεως τῆς Παφλαγόνων ἐπαρχίας ὁρίσας ὑπέγραψα.

Κυπριανὸς ἐλέει Θεοῦ ἐπίσκοπος τῆς Ημυ...... Διοκαισολίτων μητροπόλεως τῆς Οναείστων ἐπαρχίας ὁρίσας ὑπέγραψα.

Πολύδεκτος ἐλέει Θεοῦ ἐπίσκοπος τῆς Μυρέων μητροπόλεως, τῆς Λυκίων ἐπαρχίας, ὁρ. ὑπ.

Θεάτωρος ἐλέει Θεοῦ ἐπίσκοπος τῆς Σταυρουπόλεων μητροπόλεως τῆς Ηβρῶν ἐπαρχίας ὁρ. ὑπ.

Τιβέριος ἐλέει Θεοῦ ἐπίσκοπος τῆς . . . . . . . . Λαοδικέων μητροπόλεως τῆς Φρύγων ἐπαρχίας ὁρ. ὑπ.

Κοσμᾶς ἐλέει Θεοῦ ἐπίσκοπος τῆς Συμβαδίων μητροπόλεως τῆς Σαλυταρίων ἐπαρχίας ὁρ. ὑπ.

Κωνσταντῖνος ἐλέει Θεοῦ ἐπίσκοπος τῆς Βὺς μητροπόλεως τῆς Λυκαίων μητροπόλεως, ὁρ. ὑπ.

Στέφανος ἐλέει Θεοῦ τῆς Αντιοχέων μητροπόλεως τῆς Παμφίλων ἐπαρχίας, ὁρ. ὑπ.

Θεόπεμπτος ἐλέει Θεοῦ ἐπίσκοπος τῆς Ιυστινοπολιτῶν ἤτοι Μωκρασιώων μητροπόλεως δευτέρας τῶν Καππαδοκίων ἐπαρχίας, ὁρ: ὑπ.

Ισίδωρος ἐλέει Θεοῦ τῆς Ρεγίνων μητροπόλεως τῆς Φρυγῶν Πατακίων ὁρ. ὑπ.

Θεόδωρος ἐλέει Θεοῦ ἐπίσκοπος τῆς Ταρσέων μητροπόλεως τῆς πρώτης ἐπαρχίας, ὁρ. ὑπ.

Στέφανος ἐλέει Θεοῦ ἐπίσκοπος τῆς Αναζαρβέων μητροπόλεως τῆς δευτέρας τῶν Κιλικίων ἐπαρχίας, ὁρ. ὑπ.

Μακρόβιος ἐλέει Θεοῦ ἐπίσκοπος τῆς Σελευκέων μητροπόλεως τῆς Ισαύρων ἐπαρχίας, ὁρ. ὑπ.

Ιωάννης ἐλέει Θεοῦ ἐπίσκοπος Αθηναῖος καὶ λεγάτος τῆς ἁγίας συνόδου τοῦ Αποστολικοῦ Θεσίου τῆς πρεσβυτέρας Ρώμης, ὁρ. ὑπ.

Γεώργιος χάριτι Θεοῦ ἐπίσκοπος τῆς Βιζύηνων πόλεως τῆς Θράκων χώρας, ὁρ. ὑπ.

Ζαχαρίας ἐλέει Θεοῦ ἐπίσκοπος Λεοντοπολιτῶν τῆς Ισαύρων χώρας, ὁρ. ὑπ.

Θεόδωρος ἐλέει Θεοῦ ἐπίσκοπος τῆς Πομπηιουπολιτῶν πόλεως τῆς Παφλαγόνων ἐπαρχίας, ὁρ. ὑπ.

Γρηγόριος ἐλέει Θεοῦ ἐπίσκοπος τῆς Μιτυληναίων πόλεως τῆς Λεσβίων νήσου, ὁρ. ὑπ.

Σέργιος

Σέργιος ἐλέει Θεοῦ ἐπίσκοπος τῆς Σελυμβρίων πόλεως τῆς Ευρώπης νεάνων Θράκων χώρας, ὁρ. ὑπ.

Ανδρέας ἐλέει Θεοῦ ἐπίσκοπος τῆς Μεθυμνείων πόλεως τῆς Λεσβίων νήσου, ὁρ. ὑπ.

Θεογένιος ἐλέει Θεοῦ ἐπίσκοπος τῆς Νεάνων πόλεως τῆς Βεθυνέων ἐπαρχίας, ὁρ. ὑπ.

Αλέξανδρος ἐλέει Θεοῦ ἐπίσκοπος πόλεως Κυβεράδων τῆς Ισαύρων χώρας. ὁρ. ὑπ.

Επιφάνιος ἀνάξιος ἐπίσκοπος τῆς Ευχαίτων πόλεως τῆς Ελελιώπων ἐπαρχίας, ὁρ. ὑπ.

Πέτρος χάριτι Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ ἡμῶν ἐπίσκοπος τῆς Μεσημβρίων φιλοχρίστου πόλεως, ὁρ. ὑπ.

Πέτρος ἐλέει Θεοῦ ἐπίσκοπος τῆς Σωζοπόλεων ἐπαρχίας, ὁρ. ὑπ.

......... ἐλέει Θεοῦ ἐπίσκοπος Πτοβίων, ὁρ. ὑπ.

......... ἐλέει Θεοῦ ἐπίσκοπος πόλεως τῆς τῶν Κυπρίων ἐπαρχίας, ὁρ. ὑπ.

Τύχων ἐλέει Θεοῦ ἐπίσκοπος πόλεως τοῦ ...............

*Cætera ab initio & in extremo tineæ abſumſere.*

*Ioannes Sambucus Conſiliarius & Hiſtoricus Cæſareus ex Originali miſit ad L. Scradæum, anno 1583.*

*Originale ipſemet inſpexi & contrectavi,*

*L. Schrader.*

Fidelitèr exhibentur, ut in exemplari Schraderiano leguntur. Menda quæ ſunt nonnulla in locorum nominibus corrigere nemo non potis eſt niſi qui nec correcta ſatis agnoſceret. Certè quoniam, ut ante ex Alphonſo Piſano monitum eſt, ferebatur, olim apud Sambucum, integrum Subſcribentium numerum habitum eſſe, atque Subſcriptio-

Subſcriptiones hæ Græcæ ipſius Sambuci fuere & ad Schraderum ex autographo ita mutilato ab ipſo ſunt deſcriptæ, (unde par eſt ut credamus chartam hanc Niliacam ipſam fuiſſe de qua fama apud Alphonſum Piſanum manet) ideò libentèr eis heîc locum dedimus; nec aliam ſanè ob cauſam. Ut ſcilicet non ignoretur quænam illæ eſſent olim apud Sambucum. Nam reverà Concilii Nicæni primi Subſcriptiones has Græcas (qualiſcunque viſa fuerit charta illius Niliacæ vetuſtas) nemo puto credet fuiſſe, niſi qui hallucinatus non obſervaverit formulas illas ἐλέει θεοῦ, & χάριτι θεοῦ, *Dei miſericordia*, & *Dei gratia*, præter alia item in hiſce manifeſta, recentioris multò eſſe commatis quàm Conſtantini tempora admittunt.

17.

*Mos Patriarchæ Alexandrini à Presbyteris Alexandrinis atque ex ipſis ſolùm creandi, interdictus.*

*Is autem vetuit ne Patriarcham Presbyteri crearent* ] Ita duravit mos ille Patriarchæ ſufficiendi ſeu creandi tum à Presbyteris tum ex ipſis ſolùm, per annos 250 aut circiter. De Presbyteris loquimur tantùm Eccleſiæ Alexandrinæ qui velut ejuſdem Capitulum fuere atque numerum duodenarium à Marco inſtitutum nunc ſub Alexandro exceſſiſſe videntur. Nam ſub eo fuere minimùm ſeptemdecim, ſi non plures. Nempè tot reperiuntur in Presbyterorum Alexandrinorum ſubſcriptionibus Epiſtolæ Alexandri quâ anathema in Arium prolatum teſtatur, apud Gelaſium

ſium Cyzicenum lib. 2. cap. 3. Niſi numerum illum aut de univerſis in Alexandria Eccleſiis, aut de hiſce ſimul atque illis Patriarchæ adſeclis, ſeu velut adſeſſoribus adſiduis, non de adſeſſoribus ejuſmodi ſolùm capi velis. Certè totidem fermè habentur in ſubſcriptionibus Epiſtolæ ad Theognium ac alios Epiſcopos è Tyro profectos, apud Athanaſium, qui Alexandro proximè ſucceſſit, in Apologia ſecunda ad Conſtantium. De Eccleſiis ibi illo in ſeculo videſis Epiphanium Hæreſ. 69, 4. & Baronium Tom. 3. anno 315. num. 28.

18.

*Sub Alexandro Patriarcha inſtitutum eſt, ut Patriarcha Alexandrinus ab Epiſcopis Ægypti crearetur.*

*Et decrevit ut mortuo Patriarcha convenirent Epiſcopi qui Patriarcham ordinarent. Decrevit item ut* &c.] Decretum hujuſmodi, etiam œcumenicum, habetur in Canone 4 Synodi Nicænæ primæ, cui interfuiſſe Alexandrum hunc, quem decreviſſe ſeu imperâſſe ſcribit Eutychius, ſcimus omnes. Canon eſt; Ἐπίσκοπον προσήκει μάλιστα μὲν ὑπὸ πάντων τῶν ἐν τῇ ἐπαρχίᾳ καθίστασθαι &c. *Epiſcopum oportet maximè quidem ab omnibus qui ſunt in Provincia* (*Epiſcopis*) *conſtitui* &c. Sed mirum adeò non eſt Eutychium canonem illum ſeu decretum Alexandro deceſſori ſuo tribuere, quem non interſuiſſe ſolum ait ſed & præfuiſſe Synodo illi. Verba ejus ſunt, وكان ريس المجمع والمقدم فيه الاسكندروس بطريرك

الاسكندرية واسطات بطريرك انطاكية
ومقاريوس اسقف بيت المقدس ووجه
سلبسطرس بطريرك رومية من عنده
قسيسين اسم احدهما بقطر والاخر
فيكنتيوس فاتفقوا علي النفا اريوس
واصحابه ولعنوهم ولكل من يقول بمقالتهم

*Alexandri Patriarchæ Alexandrini dignitas in Concilio Nicæno.*

*Et Alexander Princeps & Præſes Concilii, & Euſtathius Patriarcha Antiochenus, Et Macarius Epiſcopus Hieroſolymitanus, & , quos miſit ut Legatos, Silveſter Patriarcha Romanus, Victor & Vincentius Presbyteri, unaimes in hoc conſenſere ut excommunicarent Arium & ſequaces ejus, eoſque & quotquot ſentententiæ eorum adhærerent anathemate ferirent.* Et forſan ab more illo ſeu inſtituto priſtino Eccleſiæ Alexandrinæ, & Alexandri hujus de ejuſdem mutatione voto, maximè ortus eſt Canon ille. Certè & excerpta Chronologica in Theſauro Temporum pag. 69. *Eodem anno congregata Synodus in Nicæa trecentorum decem & octo Epiſcoporum ſub Alexandro Archiepiſcopo Alexandriæ.* Et in Hiſtoriis obviis, ejus in Synodo illa partes perquam eximiæ habentur. Nec prætereundum heic quod habet hac de re Joſephus Ægyptius in Prefatione Concilii hujus Arabica, in Bibliotheca Oxonienſi. Verba ſunt فكان المروس في هذا
المجمع

المجمع الاسكندروس بطريرك مدينة
الاسكندرية ووكلا سلبسطرس بابا
رومية وبعده افسطاثيوس بطريرك
انطاكية ومكاريوس بطريرك بيت
المقدس وحضر معهم يوليوس بطريرك
رومية *Et Præſes erat in hoc Concilio Alexander Patriarcha urbis Alexandriæ, & Procuratores Silveſtri Papæ Romani, & poſt eum Euſtathius Patriarcha Antiochenus & Macarius Patriarcha Hieroſolymitanus* (ita per prolepſin heic dictus) *& aderat cum eis inſuper Iulius Patriarcha Romanus.* De Julii præſentia, quam & alii aſſerunt, ante monitum eſt. Nonne voluit hic Julium adfuiſſe quidem; ſed antequam Papa erat? Sed ſi ita eſt, Julius ex numero Patrum 318 non fuit, quod nomina ab eodem Joſepho ex actis, ut ipſe ait, Concilii deſumta & ſuperius oſtenſa reddunt manifeſtum. Atque palàm eſt, tum ex hoc loco tum ex ſubſcriptionibus vulgatis, eum qui Achitonius dicitur Antiochenus, in ſubſcriptionibus Arabicis, Euſtathium dici debuiſſe; quem tunc Patriarchatui illi præfuiſſe teſtatur item hiſtoria Eccleſiaſtica.

19

*Eligerent ſive ex quacunque regione, ſive ex duodecim illis Presbyteris ſive aliis*] Etiam & hoc

*Loci Hieronymi, Autorumque veterum, (quorum alter Ambroſii, alter Auguſtini nomen induit) bini, de Ægyptiacæ Eccleſiæ more hinc apertiùs intelligendi.*

hoc conſonum eſt Canonibus 4 & 6 dictæ Synodi Nicænæ. Parilis item hac de re ratio habenda, ut ad numerum ſuperiorem diximus. Atque demùm ex jam ante enarratis manifeſtiùs multò quam hactenus puto intelligitur, tum locus ille Hieronymi percelebris in Præfatione allatus, tum alii illi bini, quorum alter Ambroſio, alter Auguſtino quidem tribuitur. Quam bene, locus hic non eſt diſcutiendi. Utut ſe res ea habuerit, Commentarios in quibus reperiuntur perquam vetuſtos eſſe, nec dubitant viri docti. Et loci illi de ſeculis, quæ tractamus, priſcis (licet non in eis) eorumque in Ægypto moribus conſcripti ſunt. In caput Epiſtolæ ad Epheſios quartum autor ille (cui Nomen Ambroſii indutum) de promiſcua nominis & muneris Epiſcoporum & Presbyterorum ex ipſis primordiis communione, agens, *Denique*, inquit, *apud Ægyptum Presbyteri conſignant, ſi præſens non ſit Epiſcopus. Sed quia cœperunt ſequentes Presbyteri indigni inveniri ad primatus tenendos; immutata eſt ratio, proſpiciente Concilio, ut non ordo ſed meritum crearet Epiſcopum, multorum Sacerdotum judicio conſtitutum, ne indignus temerè uſurparet & eſſet multis ſcandalum*. Quid hoc eſt? Apud Ægyptum Presbyteri conſignant! Sive de Ordinatione ſive de Confirmatione accipias, ſeu de utraque (quod non ita eſt abſonum) cum Eutychianis hiſce apprimè convenit lucemque videtur non obſcuram ab eis accipere. Legitima habebatur olim Presbyteris Alexandrinis, ex eiuſdem

juſdem Eccleſiæ inſtituto (quod & ex Hieronymi loco in Præfatione exſcripto ſatis item palàm eſt) Ordinandi ſeu Creandi tum Epiſcopum Alexandrinum, tum Presbyteros, ſaltem in Eccleſia Alexandrina, facultas. Atqui Epiſcopi ſeu Patriarchæ Alexandriæ Ordinandi facultas eis ſub Alexandro hoc adempta, aut, juxta Nicænos Canones, negata eſt. Nec dubitandum puto, quin Aliorum etiam Epiſcoporum Ordinandorum facultas eis ſolis ſemper ibi aut denegata aut non exercita. Intererat Patriarchæ, cum Epiſcopis (ſimulac numeroſi ſatis eſſent) Ordinationibus illis ſolùm præeſſe. Quod & ex jure ejuſdem Metropolitico ſingulari erat apud Ægyptios in uſu poſt Alexandri tempora. Quin etiam Ordinationes generis utriuſque (tam Preſbyterorum dico quam Epiſcoporum) à Patriarcha, velut ad ſe ſuique nutum ſpectantes, ſub hæc tempora arrogatas ibi eſſe eliciunt viri docti ex Hiſtoria Meletiana, quam vide apud Theodoritum lib. 1. Hiſt. Eccleſ. cap. 9. & Sozomenum lib. 1. cap. 23. Et conſulas Carolum à S. Paulo in Geographia ſacra pag. 272. Nec prætereas heic quæ de Coluthi in Ægypto Ordinatione ſcribit Athanaſius in Epiſtola Synodica Apologiæ ſecundæ inſerta. Et memineris de Alexandrina Eccleſia ipſa rem ab Eutychio narrari, non de tota Ægypto, nedum territorio Patriarchali. Sed verò, nonne de Ordinatione, quam Alexandriæ in Ægypto, ex veteri inſtituto exercuerant Presbyteri, loquitur Commentarii

 illius

illius Ambroſio tributi Autor, dum conſignare eos ait, abſente Epiſcopo? Quod verò ſequitur in eodem, planè id ipſum videtur quod expreſſiùs habet Eutychius. Abolitum ſcilicet morem illum quo ex ipſis & ab ipſis Presbyteris Alexandrinis, ſeu, juxta linguam inferioris ævi, Capitulo ejuſdem Eccleſiæ Patriarcha eligendus erat, ac ſimùl creandus (idque juxta Synodi Nicænæ mentem) veteremque hunc morem ac rationem immutatam eſſe, adeò ut jam non ordo ejuſmodi Presbyterorum (quia cœperunt indigni inveniri ad primatus tenendos ipſi, unde nec eligere rectè quibant nec eligi) ſed meritum crearet Epiſcopum multorum Epiſcoporum judicio conſtitutum, & ex quacunque Urbe, Provincia, Societate, modò meritum ineſſet, accerſitum. Locus ille alter, Auguſtino tributus, habetur in Quæſt. 101. in Teſtamentum Vetus & Novum. *In Alexandria, & per totam Ægyptum, ſi deſit Epiſcopus, conſecrat Presbyter.* Expreſſiſſimum eſt, quantum ad Alexandriam, Eutychianæ narrationis compendium. De Hieronymi loco vide item numerum ſequentem.

20

*Atque ita evanuit inſtitutum illud antiquius*] Vult Eutychius inſtitutum illud Marci Evangeliſtæ, de Patriarcha Alexandrino à Presbyteris & ex ipſis tum eligendo tum ordinando, evanuiſſe ſub Alexandro hoc ejuſdem Eccleſiæ Patriarcha,

archa, adeoque ſub tempora Nicænæ Synodi jam dictæ. Atqui Hieronymus in loco illo, de Eccleſiæ hujus more, decantatiſſimo (quem habes integrum in Præfatione) *à Marco*, inquit, *uſque ad Heraclam & Dionyſium Epiſcopos Preſbyteri ſemper unum ex ſe electum in excelſiori gradu collocatum, Epiſcopum nominabant*. Alexandriæ ſcilicet, Hieronymo in Chronico ſuo Heraclas fit Patriarcha anno Alexandri Mammeæ F. nono; juxta Eutychii autem Chronologiam, anno ejuſdem primo. Atque error eſt craſſiſſimus gloſſæ veteris in Diſt. 93. cap. 24. *legimus*, ubi Heraclas & Dionyſius Hieronymo dicuntur fuiſſe contemporanei. Prætermiſſis temporis apicibus, ab Heraclæ initiis uſque in Nicænam Synodum ſeu Alexandri mortem quæ brevi ſecuta eſt, habentur anni centum aut circiter. Vide Laterculum Patriarcharum ſupra exhibitum. An igitur juxta Eutychium ſub Alexandro, at juxta Hieronymum ſub Heracla aut ſucceſſore ejus proximo, adeoque circa centum aut nonaginta ante Alexandri tempora poſteriora ſeu Synodum, immutatus hic mos Alexandrinus? Ita ſanè eſt. Nec intereà horum alterum alteri omninò diſſonum, re ritè perpenſa, opinor. Alter de Facto loquitur ſimul ac Jure loci ſimplici, antequam ulla omninò uſus aut facti mutatio ibi introduceretur. Alter de Jure ſimplici & inſtituti mutatione. Itaque Hieronymus ut in rem, quæ præ manibus fuit, tam rotundè quam appoſitè adferret exemplum, aſſerit ante Heraclam

*Quomodo Hieronymus & Eutychius ſatis concordes ſint de tempore quo duravit mos ille creandi à Presbyteris & ex ipſis Patriarchæ Alexandrini.*

Heraclam & Dionyſium, Epiſcopum ibi ſeu Patriarcham à Presbyteris electum, ordinatum, idque perpetuò ab Eccleſiæ initiis. Ceterùm nec Heraclam nec Dionyſium in more illo comprehendi voluit, nedum eorum Succeſſores; quorum forſan nullum ſine Epiſcopis aliquot ordinatum eſſe, æquum eſt ut exiſtimemus. Etenim advertendum eſt, Eutychium paulò infra diſertè monere, ante Demetrii Patriarchæ undecimi tempora nullum fuiſſe per Ægyptum, præter Patriarcham, Epiſcopum. Palàm igitur eſt etiam juxta eum, Patriarchas decem, nempè Abilium, Cerdonem, Primum, Juſtum, Eumenem, (qui & Hymenæus dicitur Euſebio in Chronico) Marcianum, Celadium, Agrippam, Julianum, etiam & ipſum Demetrium à Presbyteris Alexandrinis, non ab Epiſcopis, ordinatos. Neque enim erat in Ægypto, ut expreſſim Eutychius, tunc Epiſcopus præter Patriarcham ullus; qua de re infra, numero 22. Atqui à Demetrio inſtituti ſunt, inquit heic noſter, Tres, uti & ab Heracla ejus Succeſſore proximo Viginti. Quando igitur Heraclas ordinatus eſt, fuere in Ægypto Epiſcopi tres, & quando ordinatus eſt Dionyſius, Heraclæ Succeſſor proximus, fuere viginti tres. Securus ideò, ut videtur, Hieronymus de tempore Heraclam antevertente, ſeu de more Alexandrino antequam Epiſcopi per Ægyptum aliqui alii conſtituerentur, pronuntiat de Patriarcha ſeu Epiſcopo Alexandriæ à Presbyteris atque ex ſeipſis, juxta ac noſter adamuſſim,

ſim, eligendo, ordinando. Nec ad citeriora deſcendere voluit tempora, quia vix forſan credi potuiſſet, ordinationem Patriarchalem, poſtquam Epiſcopi ſaltem Heracleani, tot numero, inſtituti ſunt, ſine Epiſcopis factam eſſe; utcunque vetus inſtitutum vim ſuam hactenus retineret, neque novum de Patriarcha ordinando jus eſſet introductum. Non ſolùm hoc ſuadet ſingularis Epiſcoporum inter Presbyteros illos dignitas, quæ proculdubio, vacante Patriarchatu, vicinis (nam de procul diſſitis Epiſcopis id forſan non rectè dicitur; quia ex more ejuſdem Eccleſiæ Electio & Ordinatio Patriarchalis moram non patiebatur, quod ſcimus ex Epiphanio hæreſi *69*) in cauſa erat ut ſe Alexandriam ſedulò conferrent, verùm etiam, quæ veri ſatis ſimilis eſt, ambitio Presbyterorum quorum Eligendi & Ordinandi munus erat. Nam & horum aliqui forſan in Epiſcopalem dignitatem evecti, nec tamen Presbyteratu Alexandrino exuti, ordinabant, adeòque Epiſcopi ex accidenti, ordinabant Patriarcham cum ceteris; ita ut poſt Epiſcopos ibi inſtitutos, ſeu poſt Heraclam, id quod dixit Hieronymus ſine controverſia locum habere ſatis non quiret. Eutychius verò de Jure ſimplici ſeu inſtituto illo veteri tantum loquitur; quod durâſſe ait uſque ad Alexandri tempora. Id eſt neminem præter Presbyteros Alexandrinos de Jure locum in Electionibus aut Ordinationibus Patriarchalibus obtinuiſſe uſque ad Alexandrum, à quo novatum ac mutatum inſtitutum

tutum illud; ac ſi dixiſſet, tametſi ab Epiſcoporum per Ægyptum incremento eveniret ut intereſſent ex ipſis de facto aliqui Electionibus atque Ordinationibus hujuſmodi, veluti Heraclæ, Dionyſii, Maximi, Theonæ, Petri, Achillæ, Alexandri Patriarcharum, ſeu eorum nonnullorum, nihilominùs ante mutationem inſtituti quæ ſub Alexandro accidit, jus ad illos attinuiſſe nullum. Etiam fortè legitur in Codice vetuſtiori جاريا الي ايام الاسكندرس *uſque in tempora fermè Alexandri* (ut obſervavimus ſupra, numero 13) quoniam uſus aliquis præcedens, qui contrarium ullatenùs ſimularet, juris ipſius ſeu inſtituti veteris mutationem, ut fieri ac dici amat, induxiſſe etiam ante Alexandrum videretur. Quod verò ad tempus attinet, quo nullus ibi præter Patriarcham Epiſcopus; certè & in Scholaſticis ſunt, qui ex Diſpenſativa neceſſitate, tametſi non ex dignitate Officii (ut ipſi loquuntur) Presbyteris Epiſcopum ſeu Archiepiſcopum adeoque Patriarcham conſecrare licere volunt; unde ait Guillermus Antiſiodorenſis (in lib. 4. Sent. cap. de Sacramento in quo confertur gratia) *Si non eſſent in mundo niſi tantum tres ſimplices Sacerdotes, oporteret quod aliquis eorum conſecraret alium in Epiſcopum & alium in Archiepiſcopum.* Conſulas, ſi placet, quæ habet Thomas ab Argentina in Sent. 4. Diſt. 25. Quæſt. 1. Art. 1. de Pontifice Romano ab Epiſcopo Hoſtienſi conſecrando, & Antonium de Roſellis in Monarchiæ parte 4. cap. 18.

21 Ne

21

*Ne Patriarchis Alexandrinus Papa vocitaretur*] Codex vetuſtior فاما وصاهم لم يسمي *Sed verò dixit ſeu in mandatis dedit eis ne Patriarcha &c.* Paulò poſt heic habetur, tempore Heraclæ Patriarchæ, nomen Papæ, pro eo quod eſt Avus, tributum eſſe Patriarchæ Alexandrino, eò quod Epiſcopi, qui ibi ſcilicet paulò antè, ſub Demetrio cœperant, Patres dicti ſunt, quo nomine Patriarchæ ibi ante vocati. Et ſcimus, ex ſuperiùs obiter allatis de nomine Patriarchæ, hoc ipſum pro eo quod eſt ſimplicitèr Pater ſubinde ſumtum. Quoniam igitur jam poſt Demetrii, qui Heraclæ proximus deceſſor erat, tempora, Epiſcopi locum tenebant, iique jam ſatis numeroſi, intermedium, Patres item dicti, ideo voluit Populus Ægyptiacus, qui Chriſto nomen dederant, Supremum ſeu Patriarcham Avum nuncupari. Eutychius noſter alibi; وفي ايامه يسمي بطريرك الاسكندريه بابا اي الجد *Et tempore ejus vocabatur Patriarcha Alexandrinus Papa, id eſt, Avus.* De Heracla loquitur, in ſua Patriarcharum ſerie. Sic nempe in Codice Alepenſi. Sed eo in loco deeſt hoc in Antiocheno. Occurrit quidem in Athanaſii Epiſtola de Synodis Arimini & Seleuciæ, Epiſtola à Presbyteris Alexandrinis inſcripta Μακαρίῳ Πάπᾳ Ἐπισκόπῳ ἡμῶν Ἀλεξάνδρῳ *Beato Papæ, Epiſcopo noſtro Alexandro*

*De Papæ Nomine, Alexandrino Antiſtiti neutiquam tribuendo.*

*Alexandro*, qui ipſe eſt quem nomen hoc ſibi ſucceſſoribuſve ſuis dari noluiſſe ſcribit heic Eutychius. Alibi etiam dictus eſt ille ὁ Πάπας Ἀλέξανδρος *Alexander Papa*, ab eodem Athanaſio qui ei ſucceſſor fuit proximus, uti & dictus eſt ipſe Athanaſius tum à Conſtantio tum in Epiſtolis Arſenii Epiſcopi Hypſelitarum, & Iſchyræ, alibique, ut videre eſt in Athanaſii Apologia 2 ad Conſtantium. Palàm eſt etiam Epiſcopos alios non rarò ſeculis in vetuſtioribus, Papæ nomine dictos. Id ſcimus ex Cypriano, Hieronymo, aliis inferioris multò ævi. Etiam Anſelmus Cantuarienſis Archiepiſcopus, cum Pallium ab Urbano II. Pontifice Romano ante annos amplius quingentos reciperet, ab eo vocatus eſt *Papa alterius orbis*, quod legitur apud Gervaſium Dorobernienſem Monachum in libro MS. quem ſub titulo *Imaginationis*, *contra Robertum Abbatem S. Auguſtini*, annis abhinc ampliùs quadringentis compoſuit. Sed verò, ut in aliis factum eſt, ita nomen illud Papæ ex origine Patribus aliis ſeu Epiſcopis commune, Pontifici Romano velut proprium media aſſignavit antiquitas, ejuſque ad nos ſequaces; non alitèr atque Imperatoris nomen, æquè ex originè aliis commune, velut proprium Cæſaribus donatum. Et quicquid olim ex ſe ſimplicitèr ſignificaret Arabibus بابا ſeu باباة (quorum utrunque Papa eis denotatur) habitum certè videtur nonnullis velut id quo dignitas & majeſtas ſuprema,

idque

idque ex ipſa vocabuli vi, in eo qui jam ſic dictus, utcunque innuatur. Geographus Nubienſis Parte 2 Climatis 5 وفي مدينة رومة

قصر الملك المسمي البابة وليس فوق

البابة فوق في القدر والملوك دونه

*Et in Vrbe Roma ſunt ædes Regis, Papæ vocati. Nec eſt ſupra Papam ſuperioritas in dignitate, & Reges ſunt inferiores ipſo.* Loquitur nimirùm ex eorum ſcitis qui ſive ignavia admittunt, ſive ambitione, ſive aſſentatione aliterve volunt Principum ac Rerumpublicarum etiam ſuis in territoriis imperia Eccleſiaſticis Pontificis Romani juſſis eſſe inferiora. Turcæ eum appellitant *Rumbeg* & *Rum ſchab*, *Romæ* ſeu *Romanorum* (quo nomine quinam apud Orientales veniant, pluribus oſtenditur infrà numero 28) *Dominum*, *Principem* ſeu *Regem*, ut in Onomaſtico monet Leunclavius. Sed verò rationem nominis Papæ videmus in his quæ heic habet Eutychius ita traditam, perinde ac ſi non Patrem, ut vulgo accipitur, ſed Avum deſignaret. Id quidem certum eſt, πάππαν Græcis veteribus, Patrem ſignificaſſe, unde παππίζειν etiam habent pro eo quod eſt *Patrem eo nomine alloqui*, aut πατέρα καλεῖν, ut ait Heſychius, cui item dicitur Pappas, πατρὸς ὑποκόρισμα, *Patris diminutivum.* Quinetiam Etymologici magni Autor, Pappias, inquit, παρὰ τὸ πάππα, ὃ σημαίνει τῇ τῶν Ῥωμαίων φωνῇ, τὸ Πατέρα, *Fit à Papa quod lingua Romanorum ſignificat Patrem.* De Pap-

pia loquitur, qui in Officiis Auguſtalibus Orientis apud Codinum. Videſis plura apud Joannem Meurſium in Gloſſario, verbis Παππίας, & πρωτοπαπαπᾶς. Etiam λιτὸς παπᾶς *ſimplex Papa* pro Lectore, qui Diacono inferior eſt, uſurpatur in Conſtitutione Iſaacii Comneni Imperatoris in Theodori Balſamonis Commentario ad Photii Nomocanonis Tit. 1. de Fide cap. 33. Ceterùm ut filiorum nomine nepotes, ita Parentum, etiam & Patrum vocabulo Majores, qui Patribus, quà genitores proximi ea voce indicantur, ſuperiores ſunt, ſubinde venire docemur à Juriſconſultis, aliiſque Scriptoribus ; quicquid in adverſum fruſtrà nititur Valla in Elegantiis. Etiam in linguam Romanam receptum videtur τὸ *Pappus*, ab eadem origine pro Avo. Ita enim apud Auſonium illud ſignificare apertum eſt, in Protreptico ad Nepotem, ſeu Idyllio 4.

——— *Pappos aviaſque trementes,*
*Anteſerunt Patribus ſeri nova cura nepotes.*

Ex Græco igitur aut Latino aut utroque ſermone nomen illud Alexandriæ uſurpatum (quicquid ſimpliciter ex ſeipſo primitùs ſignificaret) quoties contrà diſtinctum haberet Patris vocem, pro Avo, juxta Eutychium, ſumebatur. Res verò cœpit Heraclæ Patriarchæ tempore, causâ ab eò oſtensâ. Certè & Dionyſius, proximus Heraclæ ſucceſſor, hoc de eo nomen expreſſim uſurpat in Epiſtola ad Philemonem apud Euſebium lib. 7. cap. 6. & Nicephorum lib. 6. cap. 9. Canonem iſtum, inquit, accepi παρὰ τοῦ μακαρίου Πάπα ἡ-

πάπα Ἡρακλᾶ, *à beato Papa noſtro Heracla.* Quicquid autem petierit Alexander, de hujus nominis apud Alexandrinos Ægyptioſque abolitione, certè tum Athanaſius ejus ſucceſſor proximus aliique ſic poſteà dicti etiam in Ægypto. Et Joannes Patriarcha ibi, in Lemmate Epitaphii ſui à Sophronio Patriarcha Conſtantinopolitano conſcripti vocatur Πάππας Ἀλεξανδρείας, *Papa Alexandriæ*, in Anthologia Epigrammatum lib. 3. cap. 6. Legitur autem apud Nicephorum Calliſtum, nomen hoc Cyrillum Patriarcham Alexandrinum accepiſſe à Cæleſtino Pontifice Romano (cum locum ſuum Cyrillum in Synodo Epheſina tenere abſens voluit) atque ad ſucceſſores tranſmiſiſſe. De nominis Papæ originibus aliis, præter magis obvios, qui non ſunt pauci, Scriptores, conſulas Baronium in Martyrologio Januarii 10, & Juriſconſultum celebrem Joannem Coraſium Miſcellaneorum lib. 5. cap. 15.

## 22.

*Nullus erat in Provinciis Ægypti Epiſcopus*] Alibi item in Patriarcharum ſerie Eutychius, ubi de Demetrio; وهو اول بطريرك اصلح الاسقفة في عمل مصر *Et is primus erat Patriarcha qui Epiſcopos inſtituit in Provinciis Ægypti.* Et notiſſimæ ſunt ex Hiſtoriis Eccleſiaſticis ingentes tunc temporis inter Origenem & Patriarcham hunc ſimultates (quas tamen nec omninò

*Quando primò in Egypto conſtituti Epiſcopi plures.*

nò memorat noſter) unde etiam graves inter Demetrium hunc & Alexandrum Hieroſolymorum & Theoctiſtum Cæſareæ Epiſcopos diſſenſiones tunc natæ. Ut autem ille ſummus Origenis adverſarius Tres ſibi, proculdubiò velut auxiliarios, Epiſcopos, ita ſucceſſor ejus Heraclas primarius Origenis diſcipulus Viginti ſibi etiam inſtituit. Et crevit dein haud parùm numerus. Nam Centum aut circitèr fuere in Ægypto Epiſcopi ante Concilii Nicæni tempora, ut exprſſim Acta Metrophanis & Alexandri teſtantur. Jam verò ex Patriarchali illo jure veteri, quod ſine Epiſcopis per totius Ægypti Provincias tamdiu, id eſt per annos ampliùs centum, ſolum obtinuerat, atque ex ſerâ ibi Epiſcoporum, eâque haud parùm ex Patriarchæ arbitrio, inſtitutione, quam heic narrat Eutychius, eliciendæ videntur jurium illorum ſingularium & prærogativarum quibus ante alios in Chriſtiano orbe Primates ac Patriarchas, Alexandrinus gaviſus eſt, origines. Veluti Juris, per univerſam ſaltem Ægyptum, Metropolitici (quod ſcimus ex Epiphanio Hæreſi *69*, & Syneſio Epiſt. *67* & *76*. aliunde) atque aliorum perinſignium, de qnibus fuſiùs Carolus à S. Paulo in Geographia ſacra pag. 271. & ſequentibus. Ceteris enim in locis, Epiſcopi alitèr atque alitèr diù ante Demetrium (qui primus in Ægypto fit ab Eutychio Epiſcoporum autor, ſub annum Chriſti 280) ſparsìm conſtituti, Jura ſibi ex uſu diutino ac ſubinde invicem diſcrepantia nacti, ea etiam nec ampliora nec

*De Patriarchæ Alexandrini ſingularis Iuris Metropolitici Origine.*

ferè

ſerè alia ex ſeculis priſtinis retinuere, poſtquam ex Synodi Nicænæ primæ autoritate, atque ad civilis adminiſtrationis formulam, ſtabilita eſt gubernatio Eccleſiaſtica. Atque uti hi ſua æqualia variatim & diſſimilitèr inoleverant; ita Patriarcha Alexandrinus dein ſua, ſemper ſibi ſimilia; quæ fuere quidem, ut ex recentiori tum inſtituto tum uſu, ſi Epiſcopos ſpectes pro arbitrio Patriarchæ tunc pridem inſtitutos, ita ex origine veterrima, ſi Eccleſiæ illius ſpectes initia. Unde fiebat demùm ut is ipſe etiam ibi retineret τὴν Ἐκκλησιαστικὴν διοίκησιν, *rerum Eccleſiaſticarum adminiſtrationem* ſingularem & ſibi peculiarem (quod legitur apud Epiphanium loco citato) alia item in aliis Patriarchatibus non reperta. Sed verò occurrunt quæ Epiſcoporum origini in Ægypto ab Eutychio traditæ nimis refragari videantur. Nicephorus Calliſtus lib. 2. cap. 43 ſcribit Marcum Evangeliſtam etiam & Epiſcopos in Cyrene & Pentapoli ordinâſſe, cui & conſona ſunt Græcorum Synaxaria. Vetus item Marci Vita; *Pentapolim pergit &c. & ordinans Epiſcopos per regiones illas & clericos iterum Alexandriam venit.* Hanc ſequitur Alfricus Archiepiſcopus Cantuarienſis, in Sanctorum vitis. Hrabanus item Maurus in Martyrologio 7. Kal. Maii, de Marco; *Ordinaverat pro ſe Alexandriæ Epiſcopum Annianum, aliis quoque longè latèque Eccleſiis Epiſcopos, Presbyteros & Diaconos dederat.* Totidemque ferme verbis de eo uſus eſt in Martyrologio Notkerus. Sed in hiſce,

*De teſtimoniis quæ initiis Epiſcoporum in Ægypto Eutychianis refragari videantur.*

tametſi Scriptoribus fidem des (quod puto non ita proniùs feceris) nihil habent quod in Ægypto extra Pentapolin Epiſcopos eum conſtituiſſe evincat. Maximi autem in adverſum forſan videatur momenti heic, quod habetur in Hadriani Cæſaris Epiſtola ad Servianum Conſulem, de Ægyptiorum moribus. *Ægyptum*, inquit, *quam mihi laudabas totam didici, levem, pendulam & ad omnia famæ momenta volitantem. Illi qui Serapin colunt, Chriſtiani ſunt; & devoti ſunt Serapi qui ſe Chriſti Epiſcopos dicunt.* Sic apud Vopiſcum in vita Saturnini. Itaque in Ægypto fuere qui Chriſti Epiſcopos ſe dixere, tempore Hadriani Cæſaris qui plurimis annis Demetrio, cui Epiſcoporum ibi ab Eutychio initia tribuuntur, antiquior eſt. Sanè dubium non videtur quin tum Patriarchæ ibi dicti Chriſti Epiſcopi, tum, ex nominis communione priſca, ipſi Presbyteri. Nec tam de Epiſcopis quam de eis qui ſe Epiſcopos ibi dixere loquitur Hadrianus. Neque autem hinc ſequitur Epiſcopum ibi fuiſſe tunc aliquem, præter Patriarcham, alium, quà Epiſcopi nomen aut dignitas Presbyteri nomine ſuperius habitum aut ab eo diverſum. Explicato in ante dictis loco illo Hieronymi in Epiſtola ad Evagrium (in quantum ſcilicet Eutychio noſtro fides eadem de re loquenti fuerit habenda) advertendum reſtat id quod ſtatim ibi ſubjicit Hieronymus. *Quid enim facit, excepta Ordinatione, Epiſcopus quod Presbyter non faciat.* Quod ad Hieronymi ſeculum alioſve Presbyte-

ros non ad Alexandrinos, quamdiu viguit mos ille quo Presbyteri ipſi tum ordinando alios, ſibi collegas adſciſcebant, tum Patriarcham creabant, attinere ex Eutychii mente palam eſt. Neque aliter Ordinationis exceptio ibi locum habere potuit, uti & viris doctiſſimis eſt obſervatum. Vide Walonem Meſſalinum cap. 2. pag. 117.

23

*Ammonius dictus, religionis deſertor*] Arabicum اوماذيوس quod *Ammonium* fecimus, pro Eumene etiam ſubinde uſurpatur Eutychio. Codex Antiochenus heic habet اوماثيوس *Eumathius*. Sed proximo nominis hujus loco, اوماذيوس *Ammonius* etiam in hoc codice vocatur. Ammonium intellige celeberrimum illum ſectæ Platonicæ Philoſophum, Plotini ac Origenis præceptorem, ác Canonum Evangelicorum autorem. Epiſcopum autem hunc fuiſſe alibi opinor non legimus; nec fidei deſertorem ſeu unquam apoſtatam, ſi quæ de eo Porphyrius ſcripſit excipias. Is enim Chriſtiano nomini hoſtis infenſiſſimus, ait Chriſtianum quidem eum fuiſſe, & parentibus Chriſtianis ortum. Sed quando, inquit, Philoſophiæ præcepta imbiberat εὐθὺς πρὸς τὴν κατὰ νόμους (ut videre eſt apud Euſebium lib. 6. cap. 13. Nicephorum lib. 5. cap. 13. Suidam, alios) *De Ammonio.*

alios) πολιτείαν μετεβάλετο *continuò*, ut Ruffinus vertit, *ad legitimum vitæ ſe contulit curſum*; ſeu ut interpres recentior, *à Chriſtianiſmo ad vitæ rationem quæ humanis legibus gubernatur, ſe tranſtulit.* Nam & ipſe Euſebius palàm intelligit Porphyrium, quaſi dixiſſet Ammonium ὅτι τὸν ἐθνικὸν τρόπον ἐπιτοσεῖν, *ad morem Græcorum* ſeu *Paganorum relapſum eſſe*. Certè non ita diſſonus eſt Porphyrius noſtro. Sed impugnat hac de re eum Euſebius, aſſeritque permanſiſſe τὰ τῆς ἐνθέου φιλοσοφίας ἀκέραια καὶ ἀδιάπτωτα καὶ μέχρις ἐσχάτης τοῦ βίου τελευτῆς, *divinæ Philoſophiæ ſyncera ac firma præcepta uſque ad extremum vitæ*, quod de Chriſtianiſmo ſumendum, ut expreſſim in Catalogo Hieronymi ſumitur. Unde Ruffinus; *Ammonius fidem Chriſti, quod etiam inter Philoſophica ſtudia integram illibatamque ſervaverit quoad uſque ultimum vitæ ſpiritum exhalaret, Teſtes ſunt libri ejus* &c. Vide Baronium tom. 2. anno Chriſti 234. n. 4. Et rationes unde perpetua aſſeritur ei conſtantia perpende. Certè fieri quibat primò id quod ſcripſit Porphyrius (qui & facilimè ſcire quod ſcripſit potuit) juxta ac etiam noſter vult. Et dein Ammonium Chriſtianiſmi tenaciſſimum uſque ad exitum manſiſſe, ut Euſebius ejuſque ſequaces contendunt. Vide de Ammonio opinor hoc, Hieroclem περὶ προνοίας in Photii Myrobyblo codice 251. & Dionyſii Alexandrini ad eum & Euphranorem Epiſtolæ fragmentum apud Athanaſium Tractatu de Sententia Dionyſii contra Arianos.

24 *Inter*

24.

24 *Inter ſe dixere*] Codex Antiochenus; فقال بعضهم لبعض انا كنا نحن نسمي الاسقف ابا والاسقف يسمي البطريرك ابا اي الجد واما حنانيا بطريرك الاسكندرية الذي اصلحه . مرقس البشر علي هذا الكرس بطريرك اقام اثني عشرين سنة ومات *Et dixit alter ad alter, nos vocitamus Epiſcopos Abba ſeu Patres & Epiſcopi vocant Patriarcham Abba id eſt Avum* (manifeſta eſt Librarii incuria, quâ prætermittuntur quæ, ut in recentiori codice unde hæc deſcripſimus, interſerenda fuere poſt *Patriarcham Abba*) *Poſtquam autem Hananias Patriarcha Alexandrinus, quem in hac ſede ordinavit Marcus Evangeliſta ſederat annos* 22, *mortuus eſt.*

25

*Et profectus eſt Marcus Evangeliſta in Barcam*] Barca Pentapoleos, Lybiæ regionis, urbs *Barca.* eſt, aut olim fuit. Ptolemais item dicta. Vide præter Geographos obvios, Nubienſem geographiam part. 3. clim. 3. & vitam Marci Evangeliſtæ à Petro Kirſtenio Arabicè editam pag. 34, ubi Barca Pentapoleos urbs numeratur, ut Mar-

ci Patriarchatus longè diffuſiſſimi, à Petro, quod vult vitæ illius autor, conſtituti pars. Etiam Zephyrus Barcæ, in Provincia Lybiæ, Epiſcopus occurrit in nominibus Nicænæ Synodo primæ ſubjectis. A Barca Alexandriam in Geographo Arabe, numerantur 550 milliaria. Sed latiùs heic videtur ſumi Barca & pro regionibus Africanis Ægypto ab occidente conterminis. Anna apud Virgilium ad Didonem Carthaginienſem, populos eam circumcingentes indicans,

*Hinc deſerta ſiti regio, lateque furentes*
*Barcæi* ———

Certe noſter de Alexandria & Barca inferiùs loquitur veluti nominibus quibus ſatis indicaretur regionum quibus Marcus prædicavit univerſitas. In Commentario Haly Aben Rodan in Ptolemæi Quadripartiti librum ſecundum, *Ægyptus inferior* (ſic dicta Ptolemæo) appellatur *Terra de Barca uſque ad Aquidina.* Quid Aquidina ibi ſignificet ulterius diſquirere, niſi Arabica Haly haberemus, ut ita de vera conſtaret lectione, fruſtraneum eſt. Et nomina locorum pleraque etiam in verſione Ptolemæi, cui Commentarius ille inſervit ſunt depravatiſſima, nec aliter fermè quam ſi aut interpres aut librarius aut typographus ſola verborum portenta ſubſtituere certaſſet.

26

*Et tempore Neronis Cæſaris ſcripſit Petrus Apoſtolorum Princeps Evangelium Marci* ] Vulgo autem

autem ſub Claudio, ejuſque anno 3 aut 4 collocatur Scriptio Evangelii Marci. Vide Baronium tom. 1. anno Chriſti 45 §. 29. & 30. Certè & Arabica ſunt teſtimonia, illud ſcriptum, anno 4 Claudii, ſeu duodecimo ab aſcenſu Domini. Sic ſubſcribitur Evangelio huic Arabico editionis Erpenianæ; cui conſona eſt vita Marci Arabica apud P. Kirſtenium, uti & volumen MS. quatuor Evangeliorum Copticè ſcriptum & Arabicè declaratum cujus meminit V. Cl. Petrus Gaſſendius in Vita Nobiliſſimi viri dudum defuncti, Nicolai Peireskii, lib. 5. pag. 298. Vide Irenæum lib. 3. cap. 1. Sed tam Petri quam Marci dici Evangelium hoc, novum non eſt. Non ſolùm autem tempore Neronis, ſed anno ejuſdem primo, neceſſe eſt ut vellet noſter Evangelium hoc ſcriptum eſſe, quod palàm eſt ex eis quæ infra habet de exitu tum Petri tum Marci eodem in anno. Vide infra num. 36.

*De Tempore ſcriptionis Evangelii S. Marci.*

27

*Apoſtolorum Princeps*] Pro Apoſtolis uſurpatur heic, uti ſæpiùs alibi apud Eutychium, nomen illud الحواريين *Elchawarin*, quod in Actis Apoſtolorum Arabicè paſſim pro eis legitur. Solenne eſt Mahumedanis eadem eos voce denotare. Etiam & ipſi Mahumedi in Alcorano; ut videre eſt in Azoaris 3, 5 & 61 Arabicè. Loca autem in Latina ſeu Retinenſis verſione reſpondentia, ſunt Azoaris 5, 13 & 71. ubi ſub-

ſubſtituitur *viri albis veſtibus*, ſeu *albis induti*, Apoſtolorum vocabulo prætermiſſo, quos ibi ſignificari expreſſim docent Theologi Mahumedani. Et ſic Mahumedes Iben Achmed in perpetuis ad Alcoranum Commentariolis; qui eos ita dictos vult à حور quod *albedinem* interpretatur, ſeu ut volunt alii à Canitie cui ejuſmodi color. Sed de nomine hoc conſulas etiam ſi placet virum eximium Ludovicum de Dieu in Acta Apoſt. cap. 1. 26, præter Joſephum Scaligerum lib. 7. de Emendatione Temporum, pag. 638.

28

*De Lingua, qua Marci Evangelium conſcriptum.*

*Lingua Romana in urbe Romæ*] Latinè ſcilicet. Unde & hiſtoricus Mahumedanus, Abu Walid Mahumed Ben Shecina MS. ut Matthæum Ebraicè (ita etiam credunt alii) & Lucam & Joannem باليونانية id eſt, *Græcè*, ſic Marcum ait ſcripſiſſe بالرومية *Lingua Romana* ſeu *Latina*. Sic Eutychium verto; tametſi vocabulum رومية quod ex Latinorum ſono Pro *Romana* Arabibus adhibetur, etiam pro Græca non rarò uſurpetur lingua; quemadmodum الروم *Rom* tum pro *Romania*, quo nomine venit non ſolum Græcia & Europæa & Aſiatica, tum pro omni eo quod Imperium Orientale vocitatur.

*Lingua* Romana *pro* Græca *uſurpata*; & Romania *pro* Græcia & *Imperio Orientali.*

Certè

Certè eadem notione Ρωμάνια *Romania* non rarò occurrit apud Græcos recentiores; ut in Choſrois Epiſtola de Cruce aurea apud Evagrium lib. 6. cap. 20, Theophilactam Simocattam lib 5. cap. 13. Theorianum in Legatione ad Armenios, alibi. Oſtenderat Theoriano Catholicus Armeniorum, Joannis deceſſoris ſui opus contra Monophyſitas ſcriptum, ſed lingua Armenica. Theorianus igitur *Obſecro*, inquit, *eximiam ſanctitatem tuam ut hic liber deſcribatur ac mihi tradatur*, ἵνα ἐξελληνισθεῖσαν ἐν Ρωμανίᾳ ἔχωμεν αὐτήν *ut Græcum factum habere eum in Romania poſſimus*; ubi in margine rectè adnotavit Leunclavius (quem & ſequitur Joannes Meurſius in Gloſſario, & Jacobus Pontanus in dictum Simocattæ locum & ad Cantacuzeni hiſtoriæ lib. 1. cap. 1.) *ſic appellabant Imperium Orientale.* Ejuſmodi vocabuli uſus eſt non infrequens tum in hiſtoria Hieroſolymitana tum apud Landulphum Sagacem qui ex Theophanis Græco (qui nondum editus) ſua plerunque ſed barbarè ſatis transtulit. Et ſæpe etiam, ut *Romania* apud eum pro Orientalis Imperii regionibus maximè Aſiaticis, adeoque pro veteri Græcia illa ac conterminis aliquot terris uſurpatur, ita incolæ ipſi *Romani* dicti; quemadmodum & Græcis editis, ut Procopio, Zonaræ, Cedreno, aliis Ρωμαῖοι; quos Interpretes nonnulli, diſcriminis cauſa, *Romæos* potiùs vocant quam *Romanos*. Sic Raphael Volaterranus in verſione Perſicorum Procopii, *Monendum* (in Epiſtola ad editionem inquit) *cenſui*,

Romæi, *Orientalis Imperii ſubditi dicti.*

*quod à Romanis Romæos diduxi, quo Græci vocabulo Romanos Latinoſque ante Conſtantinum vocabant. Poſteà verò in antiqua nominis & Imperii poſſeſſione perſeverantes, Romæos* (ſcilicet Ῥωμαίους, qua ipſa voce Græci Romanos etiam veteres appellitant) *ſe item dici contenderunt.* Nata autem eſt hæc appellatio ex *Novæ Romæ* nomine (quod nemo neſcit) Conſtantinopoli inditæ, unde demum & quoquot Imperio, quod illic ſedes habebat, ſubditi eſſent Ῥωμαῖοι ſeu *Romæi* item dicti. Quo item fiebat, ut Romani ipſi veteres, ne non ſatis nomine ab Orientalibus diſtinguerentur, Græcè ſubinde in Baſilicis Ῥώμανοὶ *Romani* (retento ipſo Latino vocabulo) appellarentur, uti & videre eſt in Gloſſis veteribus verborum Juris. Conſonus eſt hiſce Simon Portius in Lexico Græcobarbaro, ubi pro eo quod eſt ἕλλην, Γραικὸς, ἑλληνιστὶ ἑλληνικῶς & ἑλληνικὸς Græcis veteribus, uſurpari docet à recentioribus Græcis (quos Ῥωμαΐκα ſeu Romanè loqui aiunt ipſi) Ῥωμαῖος, Ῥώμιος, Ῥωμαΐκα & Ῥωμαΐκος. Simili fermè modo, ante ſecula aliquot, Occidentales, veluti tam Galli, Britanni, Hiſpani, Germani, aliique quam Itali, (ut, quod nemo neſcit, Eccleſia Occidentalis *Latina*) *Latini* tum à ſeipſis tum à ſcriptoribus Orientalibus dicti, quemadmodum etiam ab his *Franci.* Adeo ut, ſicut Orientales *Romæorum* nomen à veteris Romæ nomine in Novam, quæ ſedes imperii erat, traducto, uti oſtenſum eſt, ſortiti ſunt, ita Occidentales à Latio ſeu Latinis (quà cum Romanis in Occidente confundi illa vox ſolet)

*Occidentales dicti* Latini.

let) quorum imperio, aut Civili aut Eccleſiaſtico variatim parêre ſe tunc ſinebant omnes, dicerentur Latini; etiam apud ſeipſos. Quid enim aliud ſignificat illud Rogerii Baconis noſtratis, ſuo in ævo doctiſſimi, (qui ante annos 350 aut circiter ſcripſit; id eſt ſub Edwardo Rege noſtro primo) in Specula Mathematica? *Manifeſtum*, inquit, *quod multæ præclaræ radices ſapientiæ dependent ex poteſtate Linguarum, per quas eſt introitus in ſapientiam Latinorum.* Et de Matheſis ſtudio paulò poſt, *Harum ſcientiarum porta & clavis eſt Mathematica, quam Sancti à Principio mundi invenerunt, ut oſtendam & quæ ſemper fuit in uſu omnium Sanctorum & Sapientum præ omnibus aliis ſcientiis. Cujus negligentia jam per triginta vel quadraginta annos deſtruxit totum ſtudium Latinorum.* Et poſteà ibidem, de ſociali Logices & Muſicæ & Poeticæ fine agens, *Et hæc omnia*, ait, *ſunt ſecundùm ſententiam Alpharabii in libro de Scientiis; & patet ſimiliter per Ariſtotelem & Averroem in libris ſuis* (De Poetica ſcilicet) *licet Latini horum uſum non habeant.* Et Willielmus, natione Anglus, dicitur *primus Latinorum Tyrienſium Archiepiſcopus poſt liberationem urbis*, apud alterum illum ejuſdem nominis in hiſtoriæ lib. 14. cap. 11. Sic *Latinorum* vocabulo planè Chriſtianos Occidentales univerſos innuerunt. Atque hos hac voce contra diſtingui voluere & hi & alii Scriptores tum à Græcis tum ab Arabibus quorum ſtudia in Hiſpania Auſtraliori atque in Africa Septentrionaliori

liori & tunc temporis erant & diu ante fuerant florentiſſima, eaque ſummo habita in pretio. Nam & Scientiæ Liberales ritèque inſtitutæ, diu ante vocari ſolebant à Noſtris *Studia Arabum* & *Arabica Studia*, veluti denominata à gente ac locis ubi tunc ſolùm seriò colebantur. Id etiam liquet ex Præfatione Adelardi Monachi Bathonienſis, Athelardi item dicti, in Quæſtiones ſuas Naturales quas ex Arabum Scholis redux in Angliam conſcripſit. Hac de re item conſulas Guilielmum Malmesburienſem de Geſtis Regum lib. 2. cap. 10. Floruit ante quingentos Athelardus ille abhinc annos (Henrico primo in Anglia regnante) & primus Euclidis Elementa Geometrica Latinè vertit, ſed ex Arabico (quorum exemplar MS. penes me habeo) uti & alia Mathematica. Nam ſeculis in illis ut & diu poſt non ex Græco fonte, ſed ex Arabicis verſionibus, Latinè, ſed barbarè nimis redditis, Platonis ac Ariſtotelis pleraque, Ptolemæum item, Hippocratem, Galenum, Euclidem, id genus alios habebant Academici Occidentales. Et Avicennas tandem, Averroes, Alfarabios verſos, nec verò Themiſtios, Philoponos, Alexandros, Simplicios omninò legebant; quos nec habuere, uti nec alios fermè autores Græcos, antequam, poſt captam à Mahumede ſecundo Conſtantinopolim anno Chriſti 1453, Græci aliquot ſcientiores eorum exemplaria, in Italiam, Galliam ac Germaniam profugi, ſecum aſportabant. Latinè autem verſi erant libri illi Arabici, in Academicorum.

*Studia Arabica.*

corum gratiam, ſub Lothario Saxone & Frederico Ænobarbo circa annum 1140. Quo tempore Alcoranus in Hiſpania, primò item Latinè redditus eſt; à Roberto nempe Retenenſi Anglo & Hermanno Dalmata, qua de re videſis Petrum Cluniacenſem in Bibliotheca Cluniac. pag. 1010. & Balæum Cent. 2. Script. 80. Inter eos verò qui codices ante dictos Græcos Arabicè tranſtulerant adeoque primi in Academias tulere Arabicas, primas tenuit Chanin Ibn Iſaac, Ebræus, ac Medicus; ſi fides Hiſtorico MS. Mahumedano Abu Walid Mahumed Ben Shecina. Verba ejus ſunt وتوفي حنين ابن اسحق العبادي الطبيب وهو الذي نقل كتب الحكمة اليونانية الي العربية وعرب كتاب اقليدس والمجسطي *Et mortuus eſt Chanin Ibn Iſaac Ebræus, Medicus; is ſcilicet qui tranſtulit Sapientiam ſeu Philoſophiam Græcam in Linguam Arabicam, & Euclidem* (quem tranſtuliſſe aiunt Maronitæ Abu Zeid Ben Honaïn) *etiam explicavit & Almageſtum,* ſeu Ptolemæi libros Magnæ Conſtructionis. De anno Hegiræ loquitur 256; qui anno Salutis reſpondet 870, Chaliphâ in Ægypto Achmede Ben Tolon. Et Chanin hunc memorat, ut Galeni operum aliquot interpretem, etiam Eutychius noſter ubi de Hippocrate verba facit. Fortè ejuſdem innuit verſiones Abraham Zacuthius in Se-

*pher Iuchaſin* fol. 146 b, licet ſub Chaliphatum Mamonis qui e vivis exiit anno Chriſti 832 collocet. Tunc ait הועתקו ספרים רבים מלשון יוני אל לשון הערב *tranſlati ſunt libri multi ex ſermone Græco in Arabicum.* Qua de re vide item Claudium Salmaſium in Præfatione ad Cebetis Tabulam. Conſcripſit autem Bibliothecam Arabicam Ibn Nadir, quæ continet Catalogum librorum Philoſophicorum, Mathematicorum & Medicorum, qui primis CCCC annis Hegiræ (id eſt ante ſexcentos aut circiter annos jam elapſos) ab Arabibus compoſiti fuerunt vel verſi; cujus pars ſeptima habetur MS. in Bibliotheca Lugduno-Batava. Sed hoc obiter. Nomen autem *Latinorum* ab Orientalibus ſeu Byzantinæ hiſtoriæ autoribus, Occidentalibus tributum ex eorum ſcriptis paſſim liquet, maximè apud Annam Comnenam cui in Alexiados octavo Διάλεκτος Λατινικὴ *Dialectus* ſeu *Lingua Latina* pro qualicunque ſive Gallica, ſive Italica, ſive Anglica, aliave ab Occidentalibus uſurpata ſumitur. In callem tandem redeo. Quod ad τοῦ روم ſeu *Romaniæ* aut *Romanorum* nominis uſum apud Arabas attinet; Eutychius noſter de diviſione imperii inter Maximianum & Maxentium, وملك مكسيمانوس الذي يسما غولاريوس المشرق والشام والروم ۞ وملك مكسنتيوس مدينة رومية وتخومها inquit,

*Dialectus Latina, Lingua Occidentalium dicta Græcis recentioribus.*

روم & Romania & Romani *Arabibus, qua notione.*

*Et*

*Et imperavit Maximianus, dictus item Galerius, in Oriente, & Syria, & Romania,* ſeu *Rom* (id eſt Græcia Aſiatica ſeu Imperii Orientalis regionibus) *& imperavit Maxentius in urbe Roma & regionibus ad illam ſpectantibus.* Alibi item ait Eutychius noſter Baſilium fuiſſe Epiſcopum Cæſareæ, in regione Cappadocum, الذي بارض الروم *quæ eſt in terra Romaniæ,* ſeu *Romana.* Ejuſmodi occurrunt penes eum ſimili ſenſu non pauca. Inde eſt quod in libello Ariſtotelis falsò dicto, de Cauſis proprietatum Elementorum, ex Arabico, ut palàm eſt, verſo, *Terra Romanorum* apertè uſurpetur pro tractu maritimo quæ Ægypto præjacet. Et, cum ſubinde in Latina verſione ex Arabica Ariſtotelis Metaphyſices, interſeratur *In Græco album,* & *in Græco ablatio,* pro eo quod eſt, exemplar Græcum, unde Arabica ſumta, ibi mutilum fuiſſe; in lib. 5 cap. 2, eadem notione legitur *ablatio in Romano.* Frequens ſatis eſt ſimilis Nominis uſus apud Georgium Elmacinum, Nubienſis Geographiæ, autorem, Scriptores alios Arabum. Qua de re diù etiam eſt quod monuit doctiſſimus Leunclavius in Pandectis Turcicis & Onomaſtico ad hiſtoriam Muſulmanam. Etiam nuncupari memini ab Achmed Ben Magad, in Compendio ſuo Aſtronomico ſimul & Nautico MS. Alexandrum Magnum . نو . الاسكندر الاقرنين الرومي *Alexandrum Bicornem, Romanum.*

*manum*. Scriptor eſt is Mahumedanus ſeculi ſuperioris; qui & rationem reddit nominis τ8 *D'ulkernajin* ſeu *Bicornis* (qua voce Alexander tam in Alcorano quam in aliis ſcriptis Arabicis inſigniri ſolet) لانه inquit, ملك الدنيا من قرن المشرق الي قرن المغرب *Orbis totius Rex erat à Cornu*, ſeu *plaga Orientali*, *uſque in Cornu* ſeu *plagam Occidentalem*. Sed ea de re vide Joſephum Scaligerum de Emendatione Temporum lib. 2. pag. 82. & lib. 5. pag. 400. Jacobum Chriſtmannum in Alfraganum, & Athanaſium Kircherum in Prodromo Copto cap. 3. pag. 80. Quin verò & pro Chriſtianorum terris الروم ſeu *Romania* & pro Chriſtianis *Romani* ſubinde Arabibus adhibetur. Unde Geographus Nubienſis habet افرنج الروم *Franci Romani* pro Romanis ſeu Chriſtianis plagæ Occidentalis ſive Europææ, ut legitur parte 5, Climatis tertii. Dum hæc cogito, libentiùs quidem vellem id quod Marci Evangelio Arabico in Editione ſubjicitur Erpeniana aliter intelligere atque vir doctiſſimus & mihi plurimùm colendus vertit. Verba ſunt de Marco, وكان كتبها بالرومي الفرنجي بمدينة رومية Nonne ſic vertenda? *Et ſcripſit illud Lingua Romana quæ Francorum eſt*, ſeu *Occidentalis*, id eſt, *Latina*, *in urbe Roma*. De ditione Romana

Occiden-

Occidentali capit ille vir eximius. Et videſis Kirſtenium pag. 36. Certè reliquorum cuilibet Evangeliorum ſubjungitur in Arabica editione illa, quâ linguâ conſcripſerint. Atque ut باليوني *Græcè* denotat in eis quæ Lucæ & Joanni ſubjiciuntur, ſic opinor بالرومي *Romanè* hic ſignificat. Sed ita ut adjecto illo الفرنجي certiùs redderetur, linguam Latinam ſeu Occidentalium Romanorum, ſic Arabibus dictorum, ibi innui, ſeu linguam qua uſi ſunt Ρωμαῖοι, ἤγουν τῶν Φράγγκων γένος *Romani qui ſunt Francorum genus*, id eſt Occidentales; quo nomine juxta recentiorum Græcorum morem nuncupantur Romani veteres quorum ſub imperio paſſus eſt Chriſtus, quod & videre eſt in Dictis & Interpretationibus Parabolarum Sacræ Scripturæ Athanaſio falſo tributis quæſt. 76. ut ſic ab Orientalibus diſtinguerentur. Latinè autem ſcripſiſſe Marcum, teſtimonia quidem ſunt obvia, uti & Evangelium tam Petri quam ejus eſſe dictum. Vide Joannem Cantacuzenum in Apologia 4 κατὰ τοῦ μωαμὲθ, & Baronium tom. 1. anno Chriſti 45. num. 31. & ſeq. & Alphonſum Ciaconium in Petro, anno Chriſti 56. Et pro Græca lingua noſter, pauculis ut vides verbis interjectis, اليونانيه ſeu *Ionicæ* vocem, uti ſolent item Orientales alii, uſurpat. Sed & ea de re vide infra numerum 30. Scilicet Jones, ab Javan,

יונים Ebræis, יוניא Syris & اليونانيين Arabibus dicti, pro Græcis univerſis uſurpari plerunque ſolent, unde & *Ionicè* pro eo quod eſt Græcè; tametſi Ebræi etiam ſeu Talmudici interdum pro eodem utantur voce אלוניסתין *Ellenisthin*, quod planè ex Ἑλληνιστὶ fit; atque idem eſt quod *Hellenisticè*. In Gemara Hieroſolymitana ad tit. *Sota* cap. 4. fol. 21 ubi agitur de linguis quibus in Sacris uti fas eſſet, ad hunc modum habetur; ר׳ לוי בר חיתה אזל לקיסרין שמע קלון קריין שמע אלוניסתין בעא מעכבתון שמע רבי יוסי ואיפקד אמר כך אומר אני מי שאינו יודע לקרות אשורית לא יקרינה כל עיקר אלא יוצא בכל לשון שהוא יודע Sic in utraque, tam Cracovienſi quam Veneta Talmudis Hieroſolymitani editione. Sed depravatè, ut non pauca alia in utraque. Inter vertendum autem, emendatius leges. Sic ſonat. *Rabbi Levi Ben Chaitha* (in loco hoc citato à Baal Aruch, dicitur בן חזותא *Ben Chazutha*) *cum advenit Cæſaream, atque audivit eos* (nam non קלון ſed לון id eſt *eos* ibi legendum) *legentes Lectionem audi* (ſcilicet notiſſimam illam in Deuteronomii cap. 6.) *Hellenisticè, impedire eos voluit. Sed Rabbi Ioſe commotus, Ego verò, inquit, dico, an qui non poteſt legere Aſſyriacè* ſeu *Ebraicè, is non omninò leget eam? Certè ſatis officium ſuum præſtat, quacunque legerit lingua cujus ipſe fuerit gnarus.* Nimirùm erant formulæ ſacræ quibus ex Ebræorum ſcitis uti licuit etiam lingua qualicunque utenti nota, veluti Adjuratio Uxoris ſuſpectæ,

Preces,

Preces, Benedictio menſæ, Teſtium & Depoſitarii Juramenta, præter lectionem hanc atque aliquot alias. Et fuere quæ linguâ ſanctâ nunquam non ex more majorum peragendæ; de quibus fuſiùs eodem in capite. In Baal Aruch, ex Talmude Hieroſolymitano quo autor ille uſus eſt, vocabulum illud, pro *Helleniſticè*, legitur אלנסתין; atque adjicit ille ופירושו לשון יון *interpretationem ejus eſſe linguam Ionicam* ſeu *Græcam*, cui concors eſt adnotatio Cracovienſis Talmudis illius editionis. Et videſis Joannem Buxtorfium in Lexico Chaldaico verbo אלן. Sed verò dubitari nequit, lectionem illam *Audi* in Gemara hac ſic memoratam, ac Helleniſticam dictam, ipſam ſuiſſe Græcam Deuteronomii verſionem, quæ in uſu Helleniſtis, id eſt (cum de rebus Judaicis verba fiunt) יהודיא אלין דידעין הוו יואנאית *Iudæis illis qui Græcè ſcirent*, ut diſertè à Syro redduntur Ἑλληνισταὶ *Helleniſtæ* ſimpliciter dicti (in Actis Apoſtolorum cap. 9, 29) atque eo nomine ſimplici à Gentibus ibi in Græco palàm diſcriminati.

29

*Sed attribuit illud Marco*] Codici Antiocheno verba illa deſunt.

30

*Scripſit Lucas Evangelium ſuum Græcè ad virum nobilem ex Sapientibus Romanis cui nomen Theophilus*] Antiochenus heic codex, وكتب

لوقا انجيل بالرومية لرجل شريف من عظما الروم *Et ſcripſit Lucas Evangelium Lingua Romana ad virum Nobilem ex magnatibus Romaniæ.* De nomine Romani & Romaniæ vide ſupra num. 28. Lucam autem Græcè ſcripſiſſe, eſt receptiſſimum. De Theophilo ad quem ſcripſit, vide Baronium tom. 1. ann. 58. num. 32.

31

*Quocum per tempus aliquod manſit* ] Non legitur in Codice Antiocheno.

32

*Lucas Medicus vos ſalutat*] In Epiſtola nempe ad Coloſſenſes cap. 4. 14. Hinc advertendum, Eutychium noſtrum verſionem Novi Federis Arabicam aliam habuiſſe ab ea quam editam atque ex Ægypto allatam legimus. Editus enim codex habet يقريكم السلام لوقا الطبيب *Salutem vobis dicit Lucas Medicus.* Verba ita variant, ipſiſſimo retento ſenſu, ut etiam inde verſionum diverſitas eſſet elicienda. Sed alia ſunt apud Eutychium quæ rem reddunt maniſeſtiſſimam. En tibi Evangelii Joannis initium, quod affert ille, in diſputatione quam inſerit adverſus Neſtorianos, his verbis, كما قال الانجيل في البدي لم تزل الكلمة والكلمة

والكلمه لم تزل عند الله * والاه لم

تزل الكلمه * كلا بها كون

وبسواها لم يكن ولا واحد مما كان.

*Vt dicit Evangelium, In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Vniverſum per ipſum factum eſt, & ſine ipſo haud quidquam factum eſt eorum quæ facta ſunt.* Quæ ab edita verſione Arabica ita ſunt diverſa ut aliam ſecutum fuiſſe Eutychium ſit certiſſimum. Exemplaria, quibus utimur, utraque idem habent, excepto quod in Antiocheno pro والاه legitur والها, & وبغيرها pro وبسواها. Et in utriſque deeſt, ut heic, comma ſecundum. Loca item alia ex Actis Apoſtolorum aliiſque Novi Federis libris citat à verſione edita haud parum verbis diſcrepantia. Fortè igitur uſus eſt noſter verſione Joannis Epiſcopi Hiſpalenſis qui ſub annum Chriſti 730 divinos libros lingua Arabica donabat, quod memorat Joannes Mariana De rebus Hiſpaniæ lib.7 cap. 3.

33

*Occiſus autem eſt Petrus ſub annum XXII poſt Dominum*] ſub initia igitur Neronis, id eſt tredecim circa annos ante Chronologiam receptiorem, Petri martyrium collocat noſter.

34

*Atque hic primus erat Patriarcha Romanus*] Petrum Epiſcopum Romæ fuiſſe, non magis atque Marcum Alexandriæ, agnoſcit noſter. Sed ut à Marco Hananiam, ſic à Petro Linum Patriarchas eſſe, hunc Romæ, illum Alexandriæ, conſtitutos.

35

*Atque erat Marcus &c. in Alexandria & Barca annis VII*] Annis ſcilicet, à Claudii anno nono, quem videre eſt in periochæ hujus initio, putatis.

36

*De Martyrii S. Marci tempore.*

*Et anno imperii Neronis Cæſaris jam dicti primo, occiſus eſt Marcus Alexandriæ*] Item Wernerus Rolewink in Faſciculo Temporum; *Beatiſsimus Chriſti Evangeliſta Marcus martyrio coronatur anno Neronis primo, ut dicit Philo contemporaneus ejus apud Alexandriam Egypti.* Certè de Marco & Eccleſiæ Alexandrinæ initiis ſcripſiſſe Philonem illum Judæum, teſtatur Hieronymus. Quem librum, qui quantum ſcimus ſecula ante multa periit, an vidit Wernerus? Certè undenam hoc hauſerit ille, quod adeò receptæ (ut mox dicimus) chronologiæ diſſonum eſt, nondum didici. Et vita ejus Arabica à Petro Kirſtenio edita eum Alexandriæ fune tractum & martyrio coronatum ibi ait anno 14 Claudii Cæſaris

Cæſaris qui Neronis primo eſt proximus. Etiam & menſis diem adjicit. Verba ſunt وتوفي اخر يوم من برمودة من السنة الرابعة عشر من ملك اقلوديوس قيصر *Et mortuus eſt die ultimo menſis Bermuda* ſeu *Parmuda anno* 14 *Claudii Cæſaris*; id eſt, planè in fixo Ægyptiorum ſeu Coptitarum, qui tunc in uſu, anno 7 kal. Maii ſeu 25 die Aprilis Juliani, quo die tum Græcis tum Latinis feſtum Marci celebratur. Nam Barmuda ſeu Parmuda eſt menſis Ægyptiacus, ex veterum Ægyptiorum Pharmuthi natus, qui ſic Aprili reſpondet Juliano. Mirè torſerunt Petrum Kirſtenium illa de obitus ejus die verba, quæ adeò neutiquam intellexiſſe ſe ingennè fatetur, ut id quod eſt heic dies ultimus ſeu اخر يوم, perperam ſumeret tantum pro *die altero* poſtquam fune tractus eſt Marcus, & ſignificationem ṽ برمودة *Bermuda* aut *Parmuda*, menſis ſcilicet notiſſimi, inter cineres apud Avicennam ſuum (cui ut aliis رماد *ramad* milliès pro cinere; unde deductum voluit) infelicitèr quæreret. Martyrium ejus huic menſi tribuit tum Simeon Metaphraſtes (qui Pharmutium vocat) tum vetus autor Anonymus Marci vitæ. Sed verò Anonymus hic corrigendus eſt ubi dies paſſionis ejuſdem pridianus ponitur *in feſtivitate noſtra Paſchali, id eſt Domi-*

*nico*

*nico die, ſeu viceſimo die menſis Pharmuthi quod eſt octavo Kalendarum Maiarum quo tempore eorum Serapiaca agebatur celebritas.* Legendum *viceſimo nono die*, qui 8 kalendis Maiis ſeu 24 Aprilis Juliani in anno Ægyptiaco convenit. Serapiaca autem in kalendario Conſtantiniano dicto (quod mutilum nupèr in Ægidii Bucherii commentariis in Victoris Canonem, menſibus ſcilicet Martio, Aprili, Maio, & Junio truncatum, triennio antè integrum in Dionyſii Petavii Vranologia editum eſt) ſeptimo Idus Maii ſeu 25 Aprilis tribuuntur. Quid enim aliud ſignificat Nomen *Serapis* ibi jam dicto diei affixum? Sed paſſus eſt Marcus apud Anonymum illum Imperante Caio, & juxta Dorotheum, Trajano Imperante. Noſter anno paſſionem ejus collocat primo Neronis, qui ſeptennii, juxta receptiorem chronologiam, prochroniſmus eſt. Nam octavo Neronis anno obitus ejus tribui ſolet. Sed ad Arabica paulò antè citata, *miror itaque*, inquit Petrus Kirſtenius, *unde Nicephorus lib. 2. cap. 43. ſcripſerit Marcum octavo anno Neronis obiiſſe.* Palàm eſt id hauſiſſe Nicephorum ex Hieronymo, qui ſic ſcribit in vita Marci, uti & Sophronio atque horum non paucis ſequacibus, atque tritiſſimis Eccleſiæ Martyrologiis. Quin & vide Euſebium lib. 2. cap. 23. Etiam & Rituales Eccleſiæ Romanæ libri, id ipſum quod tradunt de hoc obitus ejus anno Hieronymus & Sophronius, habent in ſolennibus Lectionibus quibus celebratur Marci feſtum.

37.

*Et corpus ejus igne eſt crematum*] mortuum ibi & ſepultum aiunt Hieronymus & Sophronius, quemadmodum & vita ejus vetus, autore Anonymo, atque hujus ſequax Alfricus Archiepiſcopus Cantuarienſis. Et chlamyde coccinea circumdatum corpus ejus Alexandriæ repertum ait Codex antiquus Vaticanus, & Venetias olim tranſlatum; qua de re videſis Antonium Boſium in Roma Subterranea lib. 1. cap. 20. & Baronium, præter Tomum 1. anno Chriſti 64. tom. 9. ann. 820. num. 28. & Martyrologia in Januarii die 31. ibique ad Romanum, Baronium, & Petrum Damianum in hiſtorico ſermone de Marco. Ceterùm ſatis conſonus eſt noſtro Dorotheus Epiſcopus Tyrienſis, qui Alexandriæ, ait, Marcum tractum à loco dicto Bucoli uſque in locum dictum Angelorum, & ibi igne crematum eſſe ab Idololatris μlὼ φαρμυθίλεως ϗ ἐκεῖ ἐτάφη ἐν τοῖς βυκόλι. Sed quid μlω φαρμυθίλεως? Legendum exiſtimo μlωὸς φαρμυθὶ λ'' ὃς ϗ aut λ'' ϗ ἐκεῖ ἐτάφη &c. *Menſis Pharmuthi die* 30 *qui &* aut *& ibi ſepultus eſt*, ſeu ibi cineres ejus conditi, *ſcilicet in loco dicto Bucoli*. Ratio lectionis ex adnotatis ſuperius numero 36 petenda.

# *FINIS.*

# *Interſerenda.*

Pag. 8. lin. 21.

—Anacleti. Certè in Canonibus Arabicis Nicænis initia habet Patriarchatus Hieroſolymitanus ipsâ Synodo vetuſtiora. Latinè in illis legitur Canone 10; *Quia & conſuetudo honorandi Epiſcopum Heliæ* (Æliæ) *nomine Patriarchæ &c.* Sed Arabica Ms. in bibliotheca Oxonienſi publica, ibi; وكما جرت العادة والامر الاول باكرام اسقف اورشليم باسم البطريرك *Quemadmodum & obtinuit conſuetudo & vetus inſtitutum ut honoretur Epiſcopus Hieroſolymitanus nomine Patriarchæ &c.* Sed in canonibus illis etiam Epiſcopus Seleucienſis Patriarcha eſt, atque ut legitur in Latinis canone 34 *ſedes ejus in concilio debet eſſe ſexta poſt Epiſcopum Hieroſolymitanum*, uti & in canone 36 adjicitur Æthiopum Catholicum (quem tantùm non Patriarcham eſſe volunt canones illi) *habere ſeptimum locum poſt prælatum Seleuciæ.* At vèro in Arabico canone 39 (qui Latinorum 34 reſpondet) expreſſim habetur

ويصير مجلسه في الرتبه السابعه *ſit locus ejus ſeptimus*, & in Arabico 42 qui reſpondet canoni latine trigeſimo nono المجلس الذي هو دون السابع اعني الثامن *ſedes ſeptimâ inferior id eſt octava.* Quatuor autem illi Conſtantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, & Hieroſolymitanus, Quatuor Patriarchæ Principales dici ſolent——

Pag. 12. lin. 14.

—eliciendum. Adi autem ſi de recentioribus Judæorum Patriarchis quales diximus plura veлis, Samuelem Petitum in Variarum Lectionum lib. 2. cap. 10. atque Oſervationum lib. 3. cap. 2. (hæ jam nunc cum hæc ſcribimus in lucem prodeunt) ubi tum Catalogum eorum exhibet tum Adriani Epiſtolam antè memoratam de Patriarcha intelligit Judæorum. Sed illinc——

Pag. 24. lin. 1.

——Canone 8, Cypriano Epiſtola 13, aliis. De ejus in actibus aliis ſacris uſu parili, vide ſi placet Hugonis Menardi Obſervationes in Gregorii Magni librum Sacramentorum. Similiter——

Pag. 31. lin. 24.

—Corporis tum Lipſiani tum Gruteriani——

Ibi lin. ult.

—Corpore jam dicto utroque Presbyterum——

### Pag. 53. lin. 1.

——pag. 536. Et locum ſanè heic ſingularem habet Hymnus ille celeberrimus generali nomine הלל *laudatio* ſeu *hymnus* Ebræis dictus, cujus ſolennis in Neomeniis, & in feſtis Dedicationis, Tabernaculorum, Paſchatis, Septimanarum uſus. Conficitur ex Pſalmis 113, 114, 115, 116, 117, & 118. De quo videſis Gemaram Babyloniam tit. *Peſachim* cap. 10. fol. 117 a. præter J. Buxtorfium in Lexico Chaldaico col. 613. Nec prætermittas 2 Paralip. 35, 13, & 1 Paralip. 16, 7. Quæ verò Judæi——

### Pag. 55. lin. 17.

——potuiſſent. Reliquiæ ſanè occurrunt hac de re nonnullæ apud Arrianum in Epicteto. De vatibus conſulendis diſputans (lib. 2. cap. 7.) νῦν δὲ, inquit, τρέμοντες τὸ ὀρνιθάριον κρατοῦμεν καὶ τὸν θεὸν ἐπικαλούμενοι, δεόμεθα αὐτοῦ, κύριε ἐλέησον, ἐπίτρεψόν μοι ἐξελθεῖν. *Nunc autem trementes augurium captamus, Deumque invocantes precamur, Kyrie eleeſon* ſeu *Domine miſerere & concedas ut evadam.* An è Chriſtianiſmi uſu illud *Kyrie-eleeſon* in Gentiliſmum receptum dubitat vir eximius Gerardus Joannes Voſſius in lib. 1. de Theologia Gentili cap. 2. Floruit autem autor ille ſub Hadriani Cæſaris tempora. Habet item Arrianus lib. 1. cap. 16. hymnulorum aliquot formulas ſolennes fodienti, aranti, comedenti uſurpari ſolitas. Ut μέγας ὁ Θεὸς ὅτι ἡμῖν παρέσχεν ὄργανα ταῦτα, δι' ὧν τὴν γῆν ἐργασόμεθα, *Mag-*

*nus,*

*nus eſt Deus, qui nobis inſtrumenta præbuerit hæc quibus terram excolamus*, alias ejuſmodi actibus ceteris. Et ſubjicit ταῦτα ἐφ' ἑκάστου ἐφυμνεῖν ἔδει, ϗ τὸ μέγιστον ϗ θειότατον ὕμνον ἐφυμνεῖν ὅτι τὴν δύναμιν ἔδωκε τὴν παρακολουθητικὴν τούτων ϗ ὁδῷ χρηστικήν. *Hæc ſinguls in rebus cantanda erant, uti etiam hymnus maximus & diviniſsimus erat cantandus, quòd facultatem dederit harum rerum intelligentem & utendi ratione inſtructam.* Mahumedanis item——

## Pag. 61. lin. 9.

——Μιναμίθ. Adde, ſi plura hac de re cupias, Gulielmum Schikardum in Proæmio ad Tarich Regum Perſiæ pag. 79. & ſequentibus. Alia——

## Pag. ~~63~~ 62. lin. 12.

——floruiſſe. Et de antiquitate libri ejuſdem *Pirki* dicti videſis Joannem Morinum in Exercitatione prima in Samaritanorum Pentateuchum; ſed nec ſine eis quæ in illum hac de re conſcripſit Samuel Petitus in Variarum Lectionum lib. 2. cap. 4. Si autem libros——

## Pag. 70. lin 5.

——Chriſti 204. Forſan ob Philippum illum ſic perperam admiſſum, factus eſt Alexander vigeſimus (numerato ſcilicet Marco ac pro primo habito) Epiſcopus Alexandriæ, in Chronico illo Flavio Dextro tributo, ſub anno Chriſti 311. Nam cum Marco Alexander eſt decimusnonus uti ſine eo decimus octavus, ut in laterculo illo

noſtro. Prodiit autem ante annos fermè abhinc centum Londini, libellus Anglicanus *Imago Gubernationis* ſeu **The Image of Governance** dictus, quem, in Epiſtola ad proceres Anglicanos dedicatoria, è Græco ſermone tranſtuliſſe ſe ait Thomas Eliotus Eques auratus, atque celebris tunc inter literatos nominis (de quo videſis Balæum Cent. 8. ſcript. 77. & Pitſæum ætate 16. ſcript. 969.) atque exemplar Græcum commodato accepiſſe à Clariſſimo quodam Neopolitano cui nomen Pudericus. Autorem libelli aſſerit fuiſſe Encolpium Alexandro Severo à Commentariis. Et Encolpium quidem ſcriptis mandâſſe res aliquas Alexandri illius ſcimus ex Lampridio qui vitam ejus contexens Encolpium ſemel & iterum adhibet autorem, quo & familiariſſimo uſum fuiſſe ait Alexandrum. Græcum exemplar puto nullibi jam extare. Sed capite libelli hujus 25, veluti ex Encolpii Græcis, narratur, Alexandrum, hortatu Mammeæ matris, Origenem (qui coævus quidem erat) ex Ægypto accerſiviſſe, ac literas ad Epiſcopum Alexandriæ datas, quibus ei juſſum eſt ne Origenis iter impediret; præfixo qui ad hunc modum ſonat titulo, *Alexander Imperator Auguſtus &c. Alexandro Archiepiſcopo Chriſtianorum in magna civitate Alexandriæ* εὐπράττειν. Græcum enim hoc vocabulum in margine appoſuit Eliotus, ut ſciret lector quid in Græcis reſponderet verbis ſuis Anglicanis **well to doe.** Diſſertationes dein etiam addit aliquot Alexandri & Origenis de rebus

*Encolpii Liber.*

rebus divinis. Sed nullus tunc temporis planè Epiſcopus Alexandriæ, Alexander dictus eſt, nec ullus ante Conſtantinum. Neque aliud quam Græculi alicujus recentioris commentum libellum illum fuiſſe dubito, utcunque ſanè Lampridio ſubinde ſatis concordem. Quæſivit autem nuper vir doctiſſimus, utrum Alexander quiſquam Epiſcopus fuiſſet Alexandriæ inter eos qui habentur apud Euſebium & Hieronymum in Chronico. Et dum nullum ejuſmodi in eis legi credit (ſed hallucinatus; nam expreſſim fit Alexander ibi Epiſcopus decimus octavus apud Euſebium, numero 2337) locum Epiphanii de Epiſcopo Alexandrino punctione emendandum cenſet. Locus habetur in Hæreſi 70, quæ Audianorum eſt, num. 9. Controverſias narrat Epiphanius ortas eſſe plurimas de Paſchate tempore Polycarpi & Victoris, nec Occidentalibus cum Orientalibus ea de re conveniſſe. Quod nemo neſcit. Adjicit ſtatim, ἐν ἄλλοις δὲ ὅσοις χρόνοις. ἐν τε χρόνοις Ἀλεξάνδρου Ἐπισκόπου Ἀλεξανδρείας καὶ Κρεσκεντίου. *Idem aliis in temporibus acceſſiſſe, idque etiam temporibus Alexandri Epiſcopi Alexandriæ & Creſcentii.* Ubi Dionyſius Petavius, *quænam*, inquit, *ſub Alexandro Alexandriæ Epiſcopo Paſchales iſtæ turbæ fuerint, nuſquam à me lectum vel auditum. Sed neque quis Creſcentius ille fuerit. Quærant ampliùs eruditi.* Vir igitur eximius ille, qui ſic uti diximus locum Epiphanii emendari voluit (in Eclogis nempe Chronologicis lib. 3. cap. 1.) ob Alexandri Epiſcopi nomen ſibi

*De Alexandri Epiſcopi Alexandriæ nomine, apud Epiphanium.*

ſibi non repertum, ſic interpungendum vult locum ut eo nomine Alexander ibi Severus Cæſar ſit ſeorſim intelligendus; ad hunc modum; ἐν τοῖς χρόνοις Ἀλεξάνδρου, ἐπισκόπου Ἀλεξανδρείας καὶ Κρεσκεντίου, *idque etiam temporibus Alexandri, Epiſcopi Alexandriæ, ac Creſcentii*, ſublato ſic Epiſcopi ibi prænomine, quod lectio ei tribuit vulgata. Quam tamen retinendam nullus dubito. Nec alium Alexandrum ibi intelligi præter ipſum Alexandrum qui Alexandriæ erat Epiſcopus decimusoctavus. Id quidem verum eſt, ſi Eutychio noſtro fides danda, ſub tempora Alexandri Severi literas non paucas à Victore Romano, Demetrio Alexandrino, Cajano Hieroſolymitano, & Maximo Antiocheno Antiſtitibus, hinc inde miſſas de Paſchatis & Jejunii, quod ei prævium eſt, ſolvendi tempore فطور Arabibus dicto, ſeu tempore quo, ut eſt in lingua Canonum veterum, ἀπονηστίζειν ſeu ἀπονηστίζεσθαι δεῖ *jejunio oportet abſtinere*, ſeu *illud non ultra producere*, ſeu *jejunium ſolvere*. Quod tamen (obitèr id liceat monere) non raró per ipſum contrarium vertitur, ſeu *ieiunare*, ut videre eſt in Dionyſii Patriarchæ Alexandrini Epiſtola Canonica ea de re à Gentiano Herveto verſa, uti etiam in verſione Canonis 90 Synodi in Trullo (ubi editio Balſamonis Pariſienſis peſſimè habet ἀπονυστίζεσθαι pro ἀπονηστίζεσθαι) ac Balſamonis utrobique verſione. Nec melius aliterve viri illi magni nominis Severinus Binius in editione ſua Concilii Trullenſis,

Ἀπονηστίζειν & ἀπονηστίζεσθαι *quid.*

ſis, aut Caranza, aut Longus à Coriolano in ejuſdem ſummis, aut Antonius Auguſtinus, ubi memoratam Dionyſii Epiſtolam recitat in Epitomes Juris Pontificii libro 20. cap. 3. aut Antonius Salmatias ſive in ejuſdem Epiſtolæ editione ſive in Zonaræ ad eandem expoſitionis verſione. Diù autem eſt quod bene vertebatur vocabulum illud, juxta jam dicta, tum à Carolo Bovio in Conſtit. Apoſtolic. lib. 5. cap. 13, tum ab interprete Canonis 89 (qui eſt ipſe quem nonageſimum diximus) Synodi in Trullo cum Zonaræ in eundum commentario. Et vide, præter Heſychium in verbo ἀπονηςίσασθαι, Joſephum Scaligerum lib. 6. de Emendatione Temporum pag. 681. Atqui (ut ad Epiphanii locum redeamus) manifeſtum ex eo eſt, Tempora Victoris à temporibus Alexandri, quem memorat, adeoque Epiſcopi Alexandriæ, ita diſtingui, ut alia omninò fuerint habenda. Neque igitur Epiſcopus ille Alexandriæ Demetrius, Victori coævus, innui ab eo potuit. Neque proculdubiò alius præter celeberrimum ipſum Alexandrum ſub Conſtantino ibi Epiſcopum, cujus tempore nemo neſcit de Paſchate turbas ortas eſſe inſignes. Inde enim natum eſt quicquid poſteà Patres Nicæni quorum pars magna Alexander ille, ea de re cenſuere. Creſcentium autem heic memoratum, æquum ſatis eſt ut exiſtimemus, Epiſcopum fuiſſe Africanum cujus occurrit nomen inter Epiſcopos alios Africanos ad quos Conſtantinus de Eccleſia extruenda reſcripſit. Literæ

ejus cum Epiſcopis illis ex Bibliotheca Petri Pithœi editæ habentur apud Baronium tom. 3. anno 316. num. 62. Neque igitur nova interpunctione Epiphanius omninò corrigendus. At verò ex jam ante narratis (ut Origines Eutychianas tandem reſumamus) liquet, uſque in ——

## Pag. 80. lin. 13.

—Chriſti 334. & Joannem Lydium in Epiſtola Dedicatoria, Narrationi hiſtoricæ Conciliorum præfixa. Certè Eutychius ——

## Pag. eâdem lin. 25.

—ut Dorotheus ille. Alii anno etiam 310 Chriſti, qui ipſum Conſtantinum reverà antevertit; ut depravatus proculdubiò, quantum ad numerum, titulus Diſputationis Athanaſii in Arium quæ ibi in Synodo Nicæna dicitur habita ἐν ἔτει τῆς θείας ἐνσαρκώσεως τι. *in anno divinæ incarnationis* 310, ſub Conſtantino, Silveſtro Papa, & Alexandro Antiſtite Alexandrino. Alii anno ——

## Pag. 86. lin. 22.

—pag. 950. Maximus autem numerus, quantum video, Antiſtitum ac Prælatorum (qualiacunque eis titulorum ſeu nominum diſcrimina adjicias) alibi in Synodo aliqua repertus neutiquam 1570 ſuperat. Is autem numerus habetur in Concilio

Generali

Generali ſecundo Lugdunenſi ſub Gregorio decimo; de quo, Ptolemæus Lucenſis, *anno Domini MCCLXXIV Concilium*, inquit, *celebratur Lugduni, ubi multitudo Prælatorum fuit major quam fuerat in aliquo Concilio. Nam inter Patriarchas, Primates, Archiepiſcopos, Epiſcopos, Abbates & alios Prælatos, fuerunt MDLXX.* Ex hiſce autem ſeptingentos tantùm Epiſcopos fuiſſe ait Eberhardus Archidiaconus Ratiſponenſis.

Ut verò de Numero———

Pag. 115. lin. 6.

—tranſtulit. Sub initium vides, celebratiſſimam illam Helenam Conſtantini Magni matrem nuncupari الرهاويه pro quo ſubſtituimus nos *Rheavienſis*, ſoni Arabici veſtigia prementes, ſed interim loci unde ſic dicatur planè nimis ignari. De Patria ejus & de Natalibus filii, diſputarunt olim viri doctiſſimi. Nec ſolùm Britannam eam fuiſſe (quod & firmare contendit Baronius tom. 3 anno 306 § 16.) ſed etiam Coeli Regis filiam, volunt noſtratium aliqui, maximè Colceſtrenſes (pagi Eſſexiani municipes primarii) qui item alumnam eam ſibi fuiſſe jactitant. Alii alitèr omninò. Et quæ ſparſim hac de re apud Scriptores tùm Græcos tum Latinos veteres recentioreſque occurrunt, pleno demenſa horreo nuper ſimul exhibuit vir & Pietate & Eruditione admirandâ illuſtris Jacobus Uſſerius Hiberniæ

*De Helenæ Conſtantini M. matris patria.*

Primas in Britannicarum Eccleſiarum Primordiis cap. 8. Iſtis verò præter hunc Joſephi Ægyptii locum, obiter adjicere liceat etiam quod habet de Helenæ patria Eutychius noſter ubi de ea ſimul & Conſtantio Conſtantini patre verba facit, فخرج inquit, قسطس الي ناحية
الجزيره والرها ۞ فنزل في قرية من
قري الرها يقول لها كفر فخار ۞
فنظر فيها الي امراة حسنه جميله يقول
لها هيلانه ۞ وكانت قد تنصرت علي
يدي برسيقا اسقف الرها ۞ وتعلمت
قرات الكتب ۞ فخطبها قسطس من
ابيها فزوجه اياها وحبلت منه ۞ ورجع
قسطس الي بزنطيه ۞ فولدت هيلانه
غلاما حسن الوجه وديعا عاقلا قليل
الشر فحبا الحكمه ۞ وهو قسطنطين ۞
فتربا بالرها وتعلم حكمه اليونانيين

*Et Conſtantius* (*Conſtantem* cum aliis aliquot appellat eum Eutychius) *profectus eſt in regiones Meſopotamiæ* (ſic ſanè multotiès vertitur الجزيره quod tum Inſulam tum Terram interamnem ſignificat. Atque alibi ab Eutychio etiam pro Me-

ſopotamia ſumitur) *& Rheam. Et diverſatus eſt in vico ex vicis Rheæ, cui nomen Caphar phecar* (Codex Antiochenus habet heic كفر نفحار *Caphar niphecar.* Utrunque quidem interpretari poteſt *vicus figulinus*) *ubi conſpexit fœminam venuſtam & perpulchram nomine Helenam, quæ & educata eſt à Barſica Epiſcopo Rheæ* (in Codice Antiocheno legitur ابن مهبيا *Ibn Mabia* pro Epiſcopi hujus nomine) *& edocta legere Scripturas. Hanc Conſtantius parentum conſenſu, ſibi deſponſatam & in uxorem ductam, gravidam fecit.* (Teſtimonium ſanè non contemnendum in eos qui Helenam Conſtantii Concubinam non legitimam uxorem fuiſſe exiſtimarunt) *Dein verò Byzantium rediit. Et peperit Helena puerum vultu decorum, modeſtum, ingenioſum, minimè malum & Philoſophiæ ſtudioſum. Is Conſtantinus erat, qui Rheæ educatus Philoſophiam didicit Græcorum.* Et paulò poſt ait, Conſtantinum reſciviſſe inſidias Rheæ ſibi ſtructas ac necem inde imminere eò quod ab Aſtrologis prædictum ibi eſſet eum in dignitatem Regiam fore evehendum, unde ſubjicit فهرب من الرها فذهب الي مدينة بزنطية *& fugit è Rhea & in urbem Byzantium ſe contulit.* Ubinam hæc Rhea, ego me neſcire fateor. Rheam in Margiana, Mediæ tractu, procul nimis in Oriente poſitam memorat Ptolemæus, & Stephanus Rhæam, Cer-

*Rhea Vrbs & Epiſcopatus.*

tè nec deſuere qui de regno Perſarum (quod Mediæ vicinum) oriundam voluerint Helenam; ut videre eſt apud Gottefridum Viterbienſem. Sed dubitari intereà nequit, quin Eutychii heic Rhea, quocunque locorum ſita, eadem ipſa fuerit unde Joſepho Ægyptio Helena الرهاوية *Rheavienſis* dicta fuerit. Et advertas in Numero heic 107, ſive Epiſcopum ſive minoris in ſacris dignitatis alium, Enphilum ſcilicet, *Rheavienſis* item nomine cenſeri. Certè & Rheam hanc Eutychianam Epiſcopatum fuiſſe palàm liquet ex jam allatis. Atqui in Epiſcopatuum notitiis non reperitur nomen huic omninò aut conſonum, aut ſono ſatis cognatum, niſi aut Ῥάφιαν *Raphiam* Phœniciæ urbem ſic dictam Ptolemæo, Straboni, aliis, ex *Rhea*, aut *Rheavia*, aut hanc ex illa deformatam fuiſſe forſan quis exiſtimaverit. Raphiam autem illam ſeu Raſiam Epiſcopatum fuiſſe veterem oſtendit Epiſtola Synodica Joannis antiſtitis Hieroſolymitani (cujus Patriarchatui ſubfuit) ad Joannem Byzantium antiſtitem cui ſubſcribit *Epiphanius Epiſcopus Raſianus*, ut videre eſt in Actione 5 Concilii Conſtantinopolitani ſub Menna, Tom. 2. editionis Binianæ part. 1. pag. 736. Raphia illa urbs Phœniciæ erat maritima (quod ſcimus ex Fl. Joſepho lib. 13 cap. 21) etiam & *Rapſias* depravatè dicta in Notitia priſca quinque Patriarchatuum, & *Rapa* in pleriſque Antonini exemplaribus. Jam verò, fortean ex corrupta aliqua ſive ſcriptione ſive lectione codicum

*Rhaphia.*

dicum

dicum aliquot Orientalium quibus hoc de nomine actum eſt, *Drepanum* ſuum Conſtantini Natalibus & Helenæ domicilio finxit Nicephorus Calliſtus & in tractum Bithyniæ maritimum, (quia Helenopolis etiam locus ille nuncupatus) temerè nimis tranſtulit. Certè ut Eutychius *Rheæ*, ſic ille in tractu illo ſeu Nicomediâ vicinâ, Conſtantinum ait Græcas didiciſſe diſciplinas. Quin ſi Rhaphia heic admittenda eſſet pro Natalium loco; ſanè non ita ab eo quod eſt veriſimile aberrare forſan viderer ſi Georgium Cedrenum ita emendandum vellem, ut ubi habet ille (pag. 221) Conſtantinum natum περὶ τὴν τῆς Δακίας πόλιν *apud Vrbem Daciæ*, legeretur περὶ τὴν τῆς Ῥαφίας πόλιν *apud Vrbem Rhaphiæ*. Certè Dacia ibi non pro Daciæ Provincia, ſi vulgatam lectionem retineas, ſed pro Urbe ſic dictâ ex verborum formulâ accipienda. At nullibi puto reperitur hujus nominis urbs. Neque omninò erat ſanè quod Cuſpinianus inde eum apud Dacos natum educatumque autumaret. Præſtantiſſimus (quem jam ante diximus) vir in Britannicarum Eccleſiarum Primordiis, non malè ſubſtituendum in Cedreno conjectat pro πόλιν *urbem*, Ναισὸν *Næſum* ſeu *Naiſum*, adeoque legendum περὶ τὴν Ναισὸν Δακίας *apud Næſum Daciæ*, eo quod tum in Stephani Vrbibus tum in Conſtantini Porphyrogenneti Thematibus Næſus ſeu Naiſus dicatur πάτρις *patria* Conſtantini; ſaltem modò admittatur etiam, apud Julium Firmicum MS. teſtem heic omni exceptione majorem, Naiſum

(pro

(pro Tharſo quod habent codices ejus vulgati) eſſe locum quo Conſtantinus hic genitus; qua de re diſſertationes legimus eruditas Guilielmi Camdeni & Juſti Lipſii. In Notitia veteri Hierocli tributa, quæ ex Vaticano prodiit MS. locus ille Ναίσσος *Nænſus* ſcribitur, & urbs ibi eſt Daciæ mediterraneæ, quemadmodum etiam in Thematibus illis. Sed verò in Catalogi ſuperioris ſeu Synodi Nicænæ ſubſcriptionum Arabicarum (ut ad eas demùm redeamus) nomine quarto proculdubiò legendum——

## *Typorum errata.*

*Lege* pag. 35 lin. 4 quales. pag. 36 l. 14 ferentes. p. 39 l. 23 pro 3 13. p. 62 l. 16 Barcinonenſem. p. 65 in marg. *Mos Alexandrinæ &c.* p. 71 l. 21 percelebris. p. 123 l. 20 Conciliis in binis. ibid. l. 23 tamen Synodo in celeberrima p. 156 l. 13 annos p. 160 l. 10 pro 62 92. p. 161 l. 16 Parabolarum. *Quæ ſunt reliqua ſive ex interpunctionibus malè collocatis, ſive ex literis ſubinde operarum incuriâ exſilientibus, ſive alia quæ inter typos percurrendum haud fuerint obſervata, pro candore ſuo emendet Lector.*